A

Eclypſis.

☞ *Pete ex Loco de Eclypſi.*

Qualitates. Vires. Effectus.

Luna quam minorem Solem vocat *Ariſtoteles*, ſicut terræ eſt vicinior, ita majori effectuum varietate vim ſuam prodit. Siquidem humida eſt, & animantium corporibus humiditatem præſtat, ac veluti pabulum nativo calori ſubminiſtrat.

Ejus impulſu æſtus maris reciprocatur.

Oſtreæ, conchilia, conchæ cum ea ſumunt incrementum, vel decrementum, auctore *Plin. lib.2. nat. hiſt. c.41.* Qui addit, ejus numero reſpondere ſoricum fibras: & formicam nono ab illius coitu die, quem ſibi novit adverſum, nunquam latebris exire.

De lapide Selevite referunt, quòd imaginem Lunæ contineat, eamque reddat in dies creſcentis minuentiſque numero.

Ferunt etiam, Lunam Pituitæ incrementum facere: & dicitur ab Aſtronomis præeſſe infantiæ & argento.

In Plantis quoque & ſeminibus in terram jaciendis, tranſplantandis, putandis, miras & magnas mutationes, teſte experientia, cauſat Luna, ſive conjuncta Soli, ſive ab eo diſiuncta: eam accuratè obſervant, qui hortis excolendis, agriſque, & arborum culturæ incumbunt. B

His adde mutationes in corporibus humanis à Luna productas: ut cujus etiam convinctionem & oppoſitionem Medici conſiderant.

Prognoſtica.

Solent ex quinto die à Novilunio aut Plenilunio accipere judicium de reliqua medietate Lunæ, puta, an ſerena futura, an inſerena.

Luna autem, ſi tertio à conjunctione die, aut in ipſa quadratura, tenui puraque luce effulſerit, ſtabilem ſerenitatem ſpondet. Secùs ſi obſcurior & nigra fuerit. *Virgil. lib.1. Georgic.* ita canit:

At ſi virgineum ſuffuderit ore ruborem,
Ventus erit, vento ſemper rubet aurea Phœbe.

Proverbio locum fecit verſus communiter jactatus:

Pallida Luna pluit, rubicunda flat, alba ſerenat.

Obſervant nonnulli & areas, quæ aliquando Lunam circumdant, nam ſi una fuerit & pura, ac paulatim marceſcens evanuerit, ſerenitatem: ſi duæ aut tres, hyemem: denique ſi plures & majores areæ fuerint, aſperiores ventos portendunt. C

Lupanaria.

☞ *Vide locum de* Libidine *in initio. Tit. Magiſtri Libidinis, Scortationis, Lupanaria inſtituta, &c.*

---

* Lupus.

Ubi.

Lupi nulli in Anglia, exciſis omnibus venatione, ut *Polydorus* memorat. In Scotia tamen, & Norvegia abundantiores. ☞ *Vide in tractatu de Loco. Tit. Greſſilium ferarum loca, §. Lupi.*

In Hybernia quoque multos lupos reperiri, auctor eſt *Ven. Beda*. D

Natura, Vafricies.

Notiſſima & aſtuta fera eſt Lupus, de quo Poeta:

Triſte lupus ſtabulis.

Eſt tanta equo antipathia cum lupo, ut obſtupeſcat, & crura etiam in medio curſu ei torpeant, ſi vel veſtigia lupi calcaverit. Imò equam ferunt abortum pati, ſi lupum calcet: narrat ex *Pamphilo Bapt. Porta. Pierius* ſcribit, Lupum magis perhorreſcere ictus lapidum, quàm gladium aut fuſtem. Sunt, qui ſolo ſtrepitu lapidum eos abegerint. Ridiculum eſt quod nonnulli volunt, amittere vocem eum quem lupus primùm aſpexerit.

Captura Decreta.

Noxium hoc animal penè ubivis locorum inviſum eſt, nam & integros greges depaſcitur exiguo ſpatio, & in homines quoque & armenta ſævit. In Gallia pro ſingulis captis lupis, ex publico ſolvuntur ſolidi viginti, præter publicam erogationem, quam plebs ſua ſponte venatoribus ſolet impendere.

Hinc regia illa reſcripta emanaſſe cenſet *Claud. Mallivillæus in ſuis regiis aquarum & ſylvarum conſtitutionibus, c.11.* E

Etiam in Belgio præmia decreta ſunt illorum capturæ.

Hyberni tamen ſylveſtres lupos in patrinos adſciſcunt, & pro eis orant, ne ab eis lædantur, ut ex *Beda* ſcribit *Camerar. horar. ſucciſ. centur.* 1. eoſque vocant Charichriſt.

Ita veteres Idololatræ Vejonis Idolum reverebantur, non ut juvaret, ſed ne noceret.

* Quid de Lycanthropis

Senserint Veteres.

Veteres Poetæ & Philoſophi nonnulli ſentiebant, virtute magica perfectam transformationem fieri poſſe unius perfectæ ſpeciei in aliam etiam perfectam, hominis ſcil. in lupum, aut aliud animal. *Ovid.* ita ſcribit:

Audax cantatæ leges imponere Lunæ,
Et ſua nocturno fallere terga lupo.

Et iterum *Lib.7. Metamorph.*

Inque virum ſoliti vultus mutare ferinos
Ambigui profecta Lupi.

F

Exempla verò plurima illorum, qui in lupos mutati, lupinam rabiem exercuerunt, obvia ſunt, & quotidiana. Et refert *Herodotus*, apud Neurios Scythiæ populos lycanthropos frequentes eſſe, multùmque nocere.

Vera Sententia.

Sed Philoſophorum & Theologorum principiis conformis eſt ſententia, quæ docet, hanc hominis in belluam degenerationem illuſoriam eſſe; neque enim anima hominis poteſt informare corpus beſtiæ, uti nec è converſo, cùm quælibet forma ſubſtantialis, ut eſſe ſuum tribuat informando, requirat peculiares, ſibique convenientes diſpoſitiones, ac organizationem propriam; unde dixerim, illos qui contrarium errorem amplectuntur, eo modo tranſmutari dici poſſe in aſinos, quo alii in lupos, urſos, vel aliud hujuſmodi.

Itaque illuſio ſemper intervenit, ut tranſmutatos ſe putent, vel ab aliis videantur tales, & effectus varii ſequantur, v.g. ſtrages illatæ hominibus, vel pecoribus per homines lupina tectos effigie, vel etiam non tectos, ſed humana ſpecie graſſantes.

Nota eſt apud Medicos λικάωνα, ſive λυκανθρωπία, morbi ſpecies, quam Latini Melancholiam, ſive inſaniam lupinam vocant, qua nonnulli ſe canes, equos, lupos arbitrantur. De quo videatur *Paul. Ægineta lib.3. c.16. & Aetius lib.6. c.10.* Et de talibus ſæpè intelligendæ ſunt hiſtoriæ. Poteſt namque evenire, ut ex humorum vitio atræque bilis exceſſu, effectus & affectus quidam lupini, ac odium in greges atque homines, eoſque invadendi oriatur deſiderium. G

Talis erat ille pater Præſtantii apud *S. Auguſtin. lib.18. de Civ. c.18.* citatum à P. *Martino del Rio*, & alius apud *Thom. Cantipr. in lib. Apum*, & agricola Patavinus, cujus meminit *Fincelius lib.2. de miraculis.* Omnes enim hi non aliis, ſed ſibi lupi videbantur.

Narrat *Georg. Sabinus in Comment. ſuo ad Metamorphoſ. Ovid.* quòd ſuo tempore duci Pruſſiæ adductus fuerit Lycanthropus, ab illis quorum jumenta ille devoraverat. Erat homo deformis, habebatque cicatrices in facie ex vulneribus à canibus, ut dicebat, acceptis. Examinatus autem, referebat ſe bis per annum in lupum mutari, ſeque tum impetu quodam naturæ agi in homines & beſtias. Affirmanti fides habita, detentuſque in arce fuit, & à cuſtodibus obſervatus circa tempus quod edixerat, an in lupum transformaretur; at nihil ſimile evenit, ac fabulæ loco res habita fuit. H

Cæterùm præter morbum illum naturalem, conſtat, Dæmonem poſſe corpus lupi ex aere formare, illudque vel ſibi ipſi, vel aliis circumponere, & in eo apparere, membra ſingulis membris coaptando: quod ſolet plerumque iis evenire, qui certo ad hoc pacto cum eo inito conſtringuntur, & inunctionibus ad hæc, aut determinata formula verborum utuntur.

De aſſumpto corpore lupino ab ipſo Dæmone, multiſque in eo patratis ſub perſona cujuſquam abſentis, refert inſignem hiſtoriam *Guil. Pariſienſis, c.13. p. ult.*

De inunctionibus adhibitis ſunt exempla in Actis judiciariis Dolanis, ubi ſimiles Lycanthropi deprehenſi. Item talis erat ille apud ducem Pruſſiæ à Canibus laceratus: & in Bulgaria quidam Bajanus. De quibus *Sigebertus in chronico.* Tales enim luporum veſtigia relinquunt terræ impreſſa, & ſauciantur illis membris humanis, quæ vellere ferino contecta ictum exceperunt.

Annus

A Annus agitur decimus, ſcribit *Delrio l.2. diſquiſ. magic. qu.18.* cum Begburgi (oppidum eſt Ubiorum) ſupplicio affectus fuit quidam Stumfius Petrus, eò quòd cum Dæmone ſuccuba plus quàm luſtris quatuor conſuevíſſet. Ab hac donatus fuit lata quadam zona, qua cum cingebatur, & ſibi, & aliis lupus videbatur. Hoc ſchemate xv. pueros jugularat, eorumque cerebrum voraverat. Idem tentaverat circa nurus ſuas. Conſtantque hæc omnia ex actis Judiciariis, & iconibus in æs inciſis, palamque venalibus. Qui plura volet, legat *P. Thyræum c.2. de apparit. Spirit. n.15. & ſeq.* & qui ex illo Dialogum ſuum de Lycantropia digeſſit, *Fr. Claudium Priorem.* Reperiuntur etiam nonnulla apud *Camerarium in operib. ſucciſ. Cent.1. c.71.*

Quorum Symbolum Sint Lupi.

Et Proprietates.

Christus nos monet attendere, hoc eſt ſedulò, & ſeriò cavere à falſis Prophetis, qui veniunt, nempè à ſeipſis miſſi, nec ullum ſuæ miſſionis teſtimonium habent ad nos, in veſtimentis ovium, intrinſecùs autem ſunt Lupi rapaces. *Matth.7.*

B Etiam Apoſtolus Paulus, Mileti cohortatus majores natu Eccleſiæ, quos Epheſo advocaverat, dicebat: Ego ſcio, nempè per divinam revelationem, quòd intrabunt, nempè ſe ingerendo, cum neque mittendi ſint, neque ab ullo juriſdictionem accepturi, poſt diſceſſionem meam Lupi rapaces in vos, non parcentes gregi.

Sunt autem hi Lupi, quorum meminit Scriptura in generali, ſymbolum omnium hoſtium Eccleſiæ, quo ſenſu accipi debet illud Domini, Ecce ego mitto vos ſicut oves in medio luporum. *Matth.c.10.* hoc eſt, inermes, innocentes inter eos qui Euangelicæ prædicationi reſiſtent. Iterum illud, quando mercenarium deſcribens dicit, eum fugere, quando videt lupum venientem. *Joan.10.* Ita Gregorius amplè eſt interpretatus lupi ſuper oves adventum.

Particulariùs nihilominùs ſymbolum lupi gerunt Hæreticorum, qui crudeliùs ſæviunt, quàm alii infideles. Exempla vetera Arrianorum, aliorumque recentiora in Galiis, Anglia, & Belgio, ad manum ſunt hæreticæ lanienæ. Luporum nomine hæreticos paſſim appellant omnes Patres, è quibus *S. Ambroſius*, Luporum proprietates hæreticis accommodat, C nempè, quòd adimat vocem ei quem prior videt, quòd caſas & caulas ovium intrare non audeat, ſomnum canum, & abſentiam paſtoris exploret, ovium guttur invadat, ut ſtrangulet, ferus ſit, rapax, corpore rigidus, nec facilis inflecti; impetu irruat, nocturno plus, quàm diurno tempore inſidietur. *Lib.7. in cap.10. Lucæ.*

---

* Luſtratio, ſive Purgatio.

Definitio Et Etymologia.

Luſtratio idem quod καθαρμός. *Feſtus* vocat luſtrationem qua quid ſolvitur ac liberatur. Et *Perottus* luſtrare deducit à luendo, hoc eſt ſolvendo. Eſt namque luſtratio etiam expiatio. Unde luſtrici dies erant, in pueris nonus, in puellis octavus, quibus luſtrabantur, & nomina imponebantur. Deinde ſolemnis illa ablutio quæ ſacrificiis præmittebatur, dicebatur luſtratio.

D

Quæ Præcepta In Lege Veteri

Apud Judæos.

Præcepit per Moyſen Deus, in veteri populo fieri aquam luſtrationis, ſive expiationis, quæ etiam aqua immunditiæ, nempè quòd ab immunditia legali per eam purgarentur, appellatur, quippè conſecrabatur vario ritu, per impoſitionem cineres vaccæ rufæ, in hydriam aquæ puræ. Solebantque hi cineris mitti ad ſingula oppida, nam vacca illa rufa immolabatur tantùm Jeroſolymis; idque ut ſinguli contracta immunditia, purificationem ad manum haberent.

Qui autem ob contactum cadaveris immundi cenſebantur aſpergebantur ex eadem aqua tertio, & ſeptimo die, totidem enim erant immundi, ut conſtat *verſ.11. cap.19. Num.* Erant interim plures Judæorum purgationes, nempè Leproſorum, Seminifluorum, Levitarum, & Sacerdotum, &c.

Cujus Rei Typus.

Erat aqua illa luſtrationis typus aquæ noſtræ luſtralis, quam Aquam benedictam appellamus, qua utimur ad expiationem peccatorum venialium. Nam ut rectè colligit Alexander I. Pontifex, qui fuit VI. à S. Petro, ad omnes orthodoxos ſcribens: Si cinis vitulæ aſperſus populum ſanctificabat, atque mundabat; quantò magis aqua, quæ ſale aſperſa, diviniſque precibus ſacrata eſt, populum ſanctificat, atque emundat? ☞ *Vide plura Tit. de Aqua benedicta.* E

Apud Gentiles.

Similem luſtrationem Gentiles imitati fuere, quotquot enim in funere, comburendoque cadavere ad rogum ſpectabant, dum funeri finis imponeretur, non ante diſcedebant, quam ter aqua luſtrarentur, propter contractam à funere pollutionem. Docet id *Virgil. 6. Æneid. in funere Miſeni.*

Oſſaque lecta cado texit Corincus aheno,
Idem ter ſocios pura circumtulit unda.
Spargens rore levi, & ramo felicis olivæ.

Ubi & aſpergilli meminit, quod è rore marino, & oliva conſtabat. Si autem piaculo aliquo polluti exiſterent, ſulphure, aqua, ovo, & lauro purificabantur. Meminit *Ovidius*:

Terque ſenem flamma, ter aqua, ter ſulphure luſtrat.

Pueri in cunis luſtrabantur ſaliva, quæ ideò luſtralis vocabatur. Ita *Perſius Sat.*

Ecce avia, aut metuens Divum matertera, cuius F
Exemit puerum, & luſtralibus ante ſalivis
Expiat, urentes oculos inhibere perita.

☞ *Conſule Tit. de Funere, §. Conclamatio, Luſtratio.*

Erat apud eoſdem in uſu Luſtratio nubentium, quæ vocabantur Nuptiales Luſtrationes, de quibus ☞ *Videatur Locus de Nuptiis. Tit. Nuptiæ in particulari conſiderata, § Luſtratio. Item ſimili §. ibidem, Tit. Sacrum.*

Lustralia Sabra.

☞ *Quære in loco Ethnicorum, & Sacrificiorum, §. Explatoria, Luſtralia.*

---

* Lutherani.

Qui Hoc Titulo Decorentur.

Lutherani ſunt hæretici, à Martino Luthero Isleblenſi, G Monacho Auguſtiniano excucullato, appellationem & infamiam ſortiti. De quo auctore nonnulla diximus in *Loco de Hæreticis. Tit. Hæreticorum elenchus, §. ſæculi 15. Martin. Lutherus.* Scripſit ejus acta, 1. *Cochleus.* Ab hoc autem omnium noſtri ævi hæreſum fons exortus, univerſum orbem infecit, ita ut è filio S. Auguſtini, cujus Eremiticum inſtitutum fuerat profeſſus, & qui acerrimus hæreticorum hoſtis extitit, factus ſit Hæreſiarcharum princeps, circa annum Dom. 1518. Maximiliano Imper. & Leone X. Pontifice.

Errores ejus varii ſunt, ſummatim à nobis aſſerti *Loco de Hæreticis & Hæreſibus, ſub fin.* ubi docetur, hæreſes novas veteres velut reducere, & renovare, ac univerſum Eccleſiæ corpus occupare. Imò tot ſunt Lutheranæ impietatis impia dogmata, ut numerum vix valeas definire. Ipſe autem, ut quod verbo docebat, opere compleret, monialem è cœnobio ſeductam matrimonio ſibi junxit, & ex ea aliquot ſuſcepit filios; cumque hac laude non inferiores ſecuti mox fuere Jo. Oecolampadius, Martinus Bucerus, & infiniti Sacerdotes & Monachi. Certè *Joachimus Camerar.* teſte *Stolzio*, facit Lutherum omnium ærumnarum, quibus cum Reſpublica conflictatur, cauſam & fomitem. H Tanto autem in Rom. Pontificem odio exarſit, poſtquam ab eo excommunicatus, & hæreticus fuerat declaratus, ut vivo ſibi hoc Epitaphium, Pomerano ejus rei finem faciente, compoſuerit:

Peſtis eram vivus, moriens ero mors tua Papa.

Eraſmus Roterodamus illi contemporaneus ſcribit, eum nulla maledicentia ſaturabilem fuiſſe, Oreſte inſaniorem, veratro dignum, ut ſaniora ſcribat, & habendum, ait, non diabolum incarnatum, hoc nomen Eraſmo dederat, ſed hominem odio lymphatum.

Belli iſtius cruenti, quod Ruſticorum Germani vocant, quo ſcilicet adverſus Nobiles inſurrexerunt Ruſtici, & ſupra centum millia perierunt, fax & incentor fuit, multaſque ſeditiones movit. ☞ *Vide Loca ſuperius annotata*, & qui plura de hoc Pſeudopropheta in particulari deſideraverit, conſulat *Elenchum Hæreticorum Gabriel. Prateoli.*

☞ *Videat Lector locum de Iubilæo, & in illo pleraque huius apoſtatæ lineamenta ſuis coloribus depicta. Item Seriem, & ſtemma, in loco de Hæreticis, in fine.*

A * Luxuria.

☞ *Vide ſuprà* Libido.

Definitio, Etymologia, Et Acceptio Varia.

LUxuria à luxu nomen accepit, & æquè ac ille, generatim uſurpatur pro exceſſu non ſolùm in re venerea, ſed in veſtitu etiam, epulis, unctionibus, aliiſque deliciis. Græci *ἀσωτίαν* vocant.

Strictiùs verò accipitur pro exceſſu in re venerea. Dicitur enim luxurioſus *ſecund. D. Thomam*, quaſi luxatus & ſolutus in voluptates; & hoc modo accipitur à Theologis, & ab Apoſtolo dicitur *ἀσέλγεια*, ad *Galat.5.* quod intemperantiam libidinis ſignificat.

Ejus Turpitudo Et Incommoda.

O extrema libidinis turpitudo! exclamat *Hugo*, quæ non ſolùm mentem effeminat, ſed corpus enervat: non ſolùm maculat animam, ſed fœdat perſonam. Omne namque peccatum B quodcunque fecerit homo, extra corpus ſuum eſt: qui autem fornicatur, in corpus ſuum peccat. Semper illam præcedunt ardor, & petulantia, ſemper comitatur fœtor & immundities, ſemper ſequitur dolor & pœnitentia.

Quis ejus multiplices ſpecies enumerare valeat? hæc enim Pentapolim cum adjacenti regione ſubvertit: Sichem cum populo interemit: hæc filios Judæ percuſſit: Judæum & Madianitidinem pugione transfodit: tribum Benjamin pro uxore Levitæ delevit: filios Heli ſacerdotis in bello proſtravit: hæc Uriam occidit, Ammon interfecit, plurimos lapidavit: hæc Ruben maledixit: Samſonem ſeduxit: Salomonem pervertit. Verum ergo, quod legitur: Propter ſpeciem mulieris multi perierunt. *Idem*.

Luxuria eſt inimica Deo, inimica virtutibus, perdit omnem ſubſtantiam, & ad præſentē voluptatem deliniens, futuram non ſinit cogitare paupertatem. *De doctrina Chriſt. S. Auguſt.*

Sævus criminum ſtimulus libido eſt, quæ nunquam manere quietum patitur affectum. Nocte fervet, die anhelat. *Amb. de Abel & Cain.*

Ex voluntate perverſa facta eſt libido: & dum ſervitur libi- C dini, facta eſt conſuetudo: & dum conſuetudini non reſiſtitur, facta eſt neceſſitas. *S. Aug. lib. confeſſionum.*

Qui luxuriatur, vivens mortuus eſt, & ferreas mentes libido domat, quæ majorem in virginibus patitur famem, dum dulcius putant omne, quod neſciunt. *Hier. matri & filiæ.*

Claud. 2. Stilicon.

—— Nam cætera regna
Luxuries vitiis, odiiſque ſuperbia vertit.
Sic male ſublimes fregit Spartanus Athenas,
Atque item Thebis cecidit, ſic Medus ademit
Aſſyrio, Medoque tulit moderamina Perſes.
Subjecit Perſem Macedo, ceſſurus & ipſe
Romanis, hæc auguriis firmata Sibyllæ.

Propert. lib. 3. Eleg. 11.

Certa quidem tantis cauſa eſt manifeſta ruinis,
Luxuriæ nimiùm libera facta via eſt.

Lucan. 4. Pharſal.

—— O prodiga rerum
Luxuries! nunquam parvo contenta paratu,
Et quæſitorum terra pelagoque ciborum
D *Ambitioſa fames, & lauta gloria menſæ.*
Diſcite quam parvo liceat producere vitam.

Senec. tragæd. 9.

Totum per orbem maximum eſt extortum malum,
Luxuria peſtis blanda.

Claud. 2. Stilicon.

—— Ne te jucunda fronte fefellat
Luxuries, prædulce malum, quæ dedita ſemper
Corporis arbitriis, hebetat caligine ſenſus,
Membraque Circæis effeminat acriùs herbis.
Blanda quidem vultu, ſed quâ non tetrior ulla
Interius, fucata genas, & amicta doloſis
Illecebris, torvos auro circumligat hydros.
Illa voluptatum multos innexuit hamis.

Ejus Filiæ.

Eæque duplices, internæ, & externæ. Ac primùm

De Internis.

D. Gregorius l. 31. Moral. cap. 31. ſcribit, octo eſſe filias Luxuriæ, nempè Cæcitatem mentis, Præcipitationem, Inconſi- E derationem, Inconſtantiam, Amorem ſui, Odium Dei, Affectum præſentis ſæculi, & Horrorem futuri. Harum autem rationem reddit *S. Thom. 2. 2. q. 153. art. 5.* eaque ſic accipi poteſt. Quatuor priora pertinent ad intellectum, quatuor poſteriora ad voluntatem. In intellectu enim ſunt quatuor operationes. Prima eſt, ſimplex conſideratio, v.g. boni ſpiritualis, per quam homo dicitur benè apprehendere, & intelligere, quàm bonum ſit rectè vivere, ſervire Deo, relinquere ſæculum, & ſimilia. Secunda eſt, bona conſultatio de mediis ad hoc exequendum. Tertia, examen & judicium de modis & mediis occurrentibus. Quarta, imperium, quo ratio dat operam, ut mandentur executioni. Hæc quatuor functiones turbantur & impediuntur per luxuriam, tum quia voluptas illa eſt vehementiſſima, & conſequenter impedit conſiderationem, & attentionem circa ſpiritualia, utpotè totam animam & omnes ejus vires ad ſe violentè rapiens: tum quia eſt infima, & ſecundum infimum ſenſum, & communis cum brutis; undè etiam mentem maximè deprimit, & in brutalem indolem format, perverſa phantaſia, & affectu hominis. Et quidem ut mentem reddit ineptam ad conſiderationem rerum ſpiritualium, earumque dignitatem F apprehendendam, generat cæcitatem mentis: ut ad conſultandum de mediis, præcipitationem; immerſus enim rebus carnalibus, ineptus redditur ad conſultandum, non ſolùm de modo rectè vivendi, ſed etiam de aliis rebus, & ita præcipitanter omnia agit. Ut autem reddit ineptum ad rectè judicandum de mediis ſalutis, eaque expendenda, inconſiderationem. Ut verò mollem & debilem ad exequenda bona propoſita, ob ſpeciem quandam difficultatis, inconſtantiam. Etſi enim ſæpè aliquid boni proponant, tamen quando animus imperare debet executionem, ſtatim retrocedunt, aſperitatis ſpecie territi, ut pulchrè D. Auguſtinus ſui exemplo oſtendit, *lib. 9. Confeſſ. cap. 5. & 11.*

In voluntate ſunt operationes duæ. Intentio finis, & electio mediorum. Intentionem pervertit hoc vitium, voluntatem trahendo ad delectationes carnis, & ſic ingenerando amorem ſui: quod intellige, non tantùm quia homo hoc ipſo, quo appetit voluptates venereas, inordinatè ſe amat; ſed etiam quia ita ſenſim æſtimat carnem ſuam, ejuſque voluptates, ut in eis finem ultimum collocet, omnes ſuas cogitationes & curas ad eas conſequendas referendo. Hinc mox ſequitur odium Dei, G qui voluptates illas graviter prohibet, & punit. Electionem pervertit, ingenerando amorem hujus ſæculi, id eſt vitæ præſentis, & rerum hanc vitam oblectantium, quo ita iſtis inhærent, ut hic perpetuò manere exoptent. Undè ſtatim naſcitur horror & deſperatio futuri. Horror quidem, quia norunt ſe his voluptatibus privandos, & earum loco pœnas graviſſimas ſubituros. Hinc nemo magis horret mortem, quàm homines voluptuarii, juxta illud *Eccleſiaſt. 41.* O mors! quàm amara eſt memoria tui homini pacem habenti in ſubſtantia ſua. Viro quieto, & cujus viæ directæ ſunt in omnibus, & adhuc valenti accipere cibum, &c.

Deſperatio, quia vinculis concupiſcentiæ conſtricti, deſperant ſeſe poſſe eripere, & ſalutem conſequi.

* Externæ.

Præter has luxuriæ filias, quæ internæ ſunt, ponuntur ab *Iſidoro* quatuor externæ, turpiloquia, ſcurrilia, ludicra, ſtultiloquia.

Turpiloquia, quia ex abundantia cordis os loquitur, ut Do- H minus ait *Matth. 12.* cor autem hominis luxurioſi (id eſt, cognitio & affectus) turpitudine plenum eſt.

Scurrilia, ſunt verba aut facta parùm honeſta, riſum moventia: hæc ex eodem naſcuntur fonte: ſicut enim fœdi homines delectantur verbis turpibus, quibus actus venerei exprimantur; ita etiam aliis eodem, etſi remotiùs, pertinentibus, iiſque riſum movere ſtudent.

Nec ſolùm parùm honeſtis, ſed etiam ludicris, aliàs indifferentibus, quæ ad jocos pertinent, impenſiùs delectantur. Undè videmus quoſdam libidini addictos ex variis libris colligere turpes, ſcurriles, & ludicras narrationes & facta, ut ea in promptu habeant, cùm in conſortio ſunt aliorum.

Stultiloquium ſequitur ex cæcitate mentis; mens enim libidine cæca, multa ſtulta, ſeu ratione carentia effutit. Vide D. Thom. *art. 4. & 5.* & D. Hieronymum *in c. 5. ad Epheſios*, ubi explicant, quid ſit ſtultiloquium & ſcurrilitas.

* GRA-

* Gradus Luxuriæ Novem.

Toſtatus Abulenſis ſcribens in *c. 3. Deuter.* ubi dicitur, Og Gigantis lectum ferreum novem cubitos longitudinis, & latitudinis quatuor habuiſſe, ita dicit *q. 3.* Og Hebræis idem eſt, quod coacervans, & ſignat peccatorem, qui peccata peccatis ſuperaddit, donec veniat in profundum malorum. Peccatum enim, cui per pœnitentiam remedium non adhibetur, mox ſibi nequiores ſocios aggregat, ut fiat habitatio omnis ſpiritus immundi, maximè luxuriæ; in quo cùm quis novem cubitos longitudinis, & quatuor latitudinis habuerit, tanquam in lecto requieſcit immobilis. Primus ergo cubitus, vel gradus eſt in cibis exquiſitis. Secundus in dulcibus & continuis poculis: quia venter mero æſtuans deſpumat in libidinem, ut ait S. Hieron. Tertius eſt in ſpectaculis. Nam ut ait Poeta:

Spectatum veniunt, veniunt ſpectentur ut ipſæ.
Iſte locus caſti damna pudoris habet:

Et *Ierem. c. 9.* Intravit mors per feneſtras noſtras, & oculus meus deprædatus eſt animam meam. Quartus eſt in can- B tilenis laſcivis. Quintus eſt in aromatibus quæ venerem provocant. Sextus eſt in donis & munuſculis. Septimus in mollibus lectis. Octavus in temporali ſociorum lætitia. Nonus in turpi uſu fœminarum. Habet quoque iſte impudicorum lectus quatuor latitudinis cubitos. Primus eſt turpis agitatio. Secundus perficiendi conſenſus. Tertius conſequens operatio. Quartus diuturna aſſuefactio, quæ tandem facit hunc lectum ferreum, ut á nulla bona munitione, vel inſpiratione ſuperari poſſit. Hucuſque *Abulenſis*.

* Species Luxuriæ.

D. Th. q. 154. art. 1. ex Grat. 36. q. 1. c. Lex illa, ſex luxuriæ ſpecies aſſignat, ſuntque fornicatio, adulterium, inceſtus, ſtuprum, raptus, & peccatum contra naturam. Harum autem ſpecierum ratio hæc accipi poteſt. Vel enim contingit inordinatio circa actum venereum principalem, qui eſt ſeminatio: quòd ſcilicet ita fiat, ut non poſſit ſequi commoda inſtitutio & promotio prolis uſque ad ſtatum perfectum, & ita eſt ſimplex fornicatio, quæ eſt ſoluti cum ſoluta: aut fit cum perſona congrua, idque quadrupliciter. Primò, quia nimiùm propinqua, & ita eſt inceſtus. Se- C cundò, quia alteri juncta, & ſic eſt adulterium. Tertiò, quia virgo corrumpitur, & ita eſt ſtuprum. Quartò, quia non conſentit: & ſic raptus. Simili ferè modo *D. Thom. art. 1.*

Sacrilegum concubitum refert *D. Thom.* ad adulterium, quia perſonæ ſacræ, connubio quodam ſpirituali Deo ſunt conjunctæ.

Inordinatio, quæ in tactibus & oſculis impuris ſita eſt, & impudicitia dici ſolet, refertur ad illam ſpeciem, ad quam diſponit; ut ſi fiat cum alterius conjuge, refertur ad adulterium; ſi cum conſanguinea, ad inceſtum, & ita de aliis.

* Mala Luxuriæ. Per Exempla S. Scripturæ.

Peccatum carnis præcipua videtur fuiſſe cauſa, propter quam Dominus diluvio deleverit mundum, dicitur enim: Omnis caro corruperat viam ſuam. *Gen. 6.*

Adeò infecerat peſſimum luxuriæ vitium Sodomam, & Gomorrham, ut clamor jerit ad Dominum, & decem juſti non ſint inventi in eis: Quinetiam Angeli, qui miſſi fuerant, ut probarent, an clamorem opere compleſſent, ad ſtuprum violenter impetebantur. Unde meritò igne, & ſulphure ci- D vitates illæ conſumptæ ſunt. *Gen. 18.*

Nota, quot, & quanta mala evenerint pro ardenti amore Sichem filii Emor, qui violenter Dinam oppreſſit. *Gen. 34.*

Luxurioſi quandoque Luxuriam in aliis deteſtantur, ut patet de Juda, qui dixit de Thamar: Producite eam, ut comburatur. *Gen. 38.*

Occaſione Uxoris Levitæ, in viris Belial in Gabaa Benjamin, incredibili libidinis furore vexante, occiſa ſunt pluſquàm ſexaginta quinque millia hominum. *Iudic. 19. & 20.*

Isboseth filius Saul redarguit Abner, qui ingreſſus fuerat ad concubinam patris ſui. Abner autem iratus ſuper hoc, procuravit ei auferre terram, & citò poſt amiſit uterque vitam & patriam. *2. Reg. 3. 4.*

David captus amore Bethſabeæ uxoris Uriæ, cum illa adulterium commiſit, & cum proditione homicidium perpetravit. *2. Reg. 11.*

Ammon filius David Thamar ſororem ſuam oppreſſit, propter quod poſteà occiſus fuit. *3. Reg. 12.*

Deteſtabilem luxuriam commiſit Abſalon cum concubinis patris ſui, & citò poſteà occiſus eſt. *2. Reg. 16. 18.*

Adamavit Salomon mulieres alienigenas, & depravatum eſt cor ejus per eas, & adoravit deos alienos. *3. Reg. 11.* E

Dixit Angelus Tobiæ juniori: In eos qui conjugium ita ſuſcipiunt, ut Deum à ſe & à mente ſua excludant, & ſuæ libidini ita vacent, ſicut equus & mulus, habet poteſtatem dæmonium. Quid ergo eſt de fornicatoribus, qui nihil aliud intendunt, niſi fœdam ſuam explere libidinem? *Tob. 6.*

Stetit Judith ante faciem Holofernis, concuſſum erat cor, ardens in ipſius concupiſcentia. *Judic. 12.*

Duo ſenes Presbyteri ita fuerunt amore Suſannæ decepti, quòd quando illa voluntatem eorum facere recuſavit, mortem illius procurare conati ſunt. *Dan. 13.*

Tempore Antiochi templum luxuria & comeſſationibus gentium erat plenum, & ſcortantium meretricibus; ſacratiſque ædibus mulieres ultrò ſe ingerebant, &c. *2. Mac. 6.*

Occaſione Herodiadis, quam contra legem duxerat Herodes, Jo: Baptiſta decollatus fuit ad inſtantiam peccatricis mulieris. *Matth. Marc. 6.*

Spiritus immundi loca immunda diligunt, unde rogaverunt Dominum Jeſum, ut permitteret eos intrare in porcos, non ita boves, vel agnos, quæ ſunt animalia munda. *Matt. 14. Luc. 8.* F

Inter illos, qui vocati ſunt ad magnam cœnam, nec iverunt, ille qui uxorem duxit, non petiit ſe excuſatum haberi, ſed ait: Uxorem duxi, ideò non poſſum venire. Per quod patere poteſt, quàm longè ſint à cœna Domini luxurioſi homines & immundi, ſi ducere uxorem ita hominem implicat & involuit, quòd quaſi nihil aliud cogitare ſinit. *Luc. 4.*

Exemplo filii Prodigi, qui diſſipavit ſubſtantiam ſuam vivendo luxurioſè, patet, quòd id peccatum depauperat. Unde dicitur: Cœpit egere. Item vilificat naturam. Sequitur, quòd ipſe paſcebat porcos, &c.

Item non extinguit ardorem libidinis, ſed accendit; dicitur enim ibi: Cupiebat implere ventrem ſuum de ſiliquis, quas porci manducabant, &c. *Luc. 5.*

Exempla Historica.

☞ *Quære in Locis ſpecierum Luxuriæ particularibus.*
☞ *Item latè in Loco de Libidine.*

Luxus. G

Definitio Et Usurpatio Vocis.

* QUamvis Luxuria & Luxus pro iiſdem uſurpentur à nonnullis, propriè tamen & ſtrictè loquendo, Luxuria circa rem Veneream accipitur: Luxus verò pro cura immodica corporis, & eorum quæ circa illud verſantur, puta deliciarum, voluptatum, veſtium, epulariumque rerum. Quomodo *Virg. l. 1. Æneid.*

At domus interior regali ſplendida luxu
Inſtruitur.

Et Tacit. l. 20. Effuſi, inquit, in luxum, & epulas, & nocturnos cœtus. Pauca hìc ſparſim de luxu colligemus; ampliorem enim illius Tractationem Lector reperiet ☞ *in Locis de Ebrietate, Conviviis, Veſtibus.* Item *loco de Prodigalitate, Sumptibus, Locis magnificis*, & iis omnibus quibus ea proponuntur, circa quæ luxus poteſt exerceri.

* Ejus Incommoda.

Juvenal. 6.

Nil non permittit mulier ſibi, turpe putat nil, H
Cum virides gemmas collo circumdedit, & cum
Auribus extenſis magnos committit elenchos.

Lucan. 1.

Namque ut opes nimias mundo fortuna ſubacto
Intulit, & rebus mores ceſſare ſecundis,
Prædaque hoſtiles luxum ſuaſere rapinæ:
Non auri, veſtiſve modus, menſaſque priores
Adſpernata fames, cultus geſtare decoros,
Vix nuribus rapuere mares: ſecunda virorum
Paupertas fugitur, totoque arceſſitur orbe,
Quo gens quæque perit.

Sen. Hipp. act. 1.

Quiſquis ſecundis rebus exultat nimis,
Fluitque luxu, ſemper inſolita appetens:
Huic illa magnæ dura fortunæ comes
Subit libido, non placent ſuetæ dapes,
Non tecta ſani moris, aut vilis cibus:
Cur in penates rariùs tenues ſubit
Hæc delicatas eligens peſtis domos?

Cur ſancta parvis habitat in tectis Venus,
Mediumque ſanos vulgus affectus tenent,
Et ſe coercent modica? Contrà divites,
Regnoque fulti, plura quàm fas eſt, petunt?
Quod non poteſt, vult poſſe, qui nimium poteſt.

LUXUS CIRCA VOLUPTATES CORPORIS NON PROPRIE DICTAS, ΚΤΗΣΙΣ. HUC LUXURIÆ MAGISTRI.

☞ *Ex Tit. Intemperantiæ magiſtri in univerſum, huc ea, in quibus impropriè dictarum Voluptatum quoque mentio fit.*

CN. MANLIUS de Gallogræcis triumphum egit. Tum primùm lecti ærati, veſtis ſtragula pretioſa, plagulæ, & aulæa, & alia textilia Romam invecta dicuntur, Monopodia adhæc & abaci, pſaltriæ, ſambuciſtæ, & convivalia ludionum oblectamenta epulis adhibita, & coquus in pretio haberi cœptus. *Sab. l.7. Enn.5.*

Victoria Cn. Pompeji de Mithridate primùm ad margaritas gemmaſque mores Rom. inclinavit: ſicut L. Scipionis & Cn. Manlii ad cælatum argentum, & veſtes Attalicas, & triclinia ærata: ſicut L. Nummii ad Corinthia & tabulas pictas. *Plin. l.37. c.1.*

DISCIPULI.

Oppia lex bello punico ſecundo lata de moderando luxu veſtitus muliebris, duravit, quoad Aſiana luxuria invaſit civitatem. Tunc mulieres Rom. tanquam furibundæ in publicum ſe proruerunt, licentiam ſibi cujuſvis ornatus flagitantes. Ne hoc fieret, vir graviſſimus M. Cato conſul, oratione ſapientiæ plena diſſuaſit: ſuaſerunt duo Tribuni plebis, quorum oratio ſcripta eſt apud Livium, diluta ſanè, & auribus ſtultæ multitudinis accommodatior, quàm ſapientum. Pervicerunt tamen importunitate & pervicacia ſua mulieres, ut ſuperbiæ ſuæ frena laxarentur, liceretque quantum liberet. Unde quæ mala eventura eſſent, prædixit Cato, ut aliis multis ſuis dictis, ita & hoc vates veriſſimus. *L. Vives de Chriſt. fœm. l.1.*

LUXUS ΧΡΗΣΙΣ, PER SE CONSIDERATO OBJECTO.

IN GENERE.

☞ *Ex Tit. Voluptatibus deditorum, huc quædam.*

Ἐκ μασσαλίας ἥκεις, id eſt, Maſſilia veniſti. Suidas ait dici ſolitum de iis, qui cultu parùm viris decoro uterentur, quòd Maſſilienſes luxu perditi, muliebrem fermè in modum ornarentur, comis unguento delibutis, capilliſque religatis. *Eraſ. in Adag.*

Propertius, corruptos ſuo tempore mores Romanorum taxans, inquit:

Luxuriæ nimiùm libera facta via eſt:
Inda cavis aurum mittit formica metallis,
Et venit è rubro jam concha Erycina ſalo:
Et Tyro priſtinos præbet Cadmea colores,
Cinnamon, & multi paſtor odoris Arabs.

IN SPECIE. SIC VERSATUR CIRCA ALIMENTA.

☞ *Huc pertinet Affectata ſupra modum in victu elegantia & mundities.*

VESTIMENTA.

☞ *Ex Corporeis bonis huc ea, quæ immoderatum uſum veſtium habent junctum. Item ex loco Prodigalitatis & Ambitionis, quædam luxurioſi veſtitus exempla. Hic voluptatem corpoream ſpectamus: illic eam, quæ hujus vel proxeneta eſt, Prodigalitatem: vel aſſecla, Ambitionem.*

Tarentini geſtabant omnes texturam pellucidam veſtium, teſte Cleantho, quibus nunc muliebris vita gloriatur. *Ath. l.12. c.7.*

DEMOSTHENI oratori Athenienſi κόμψη χλανὶς, ἢ μαλακοὶ χιτωνίσκοι, ab æmulis probro ſunt dati, quòd nimis accurato corporis cultu uteretur, atque inde etiam nomen Batali illi inditum. *Gellius l.1. c.5. Noct. Attic. & Plut.*

CICERO Verrem, quòd cum talari tunica & pallio purpureo incederet, notavit: cùm eo tempore ſubſtrictas breveſque tunicas citra humerum deſinentes Romani haberent. *Alex. l.5. c.28.*

LENTULUS Spinter in ædilitate bis tincta purpura indutus eſt primò, cujus valor denariis mille in libras taxabatur. *Idem.*

C. JUL. Cæſar mollioribus veſtibus utebatur, & interdum caligis paulò altioribus, ac rubri coloris, laticlavo quoque fimbriato, laxiore cinctura. Quam mollitiem corporis L. Sylla adeò ſuſpectam habuit, ut eum occidere etiam voluerit. Deprecantibus autem nonnullis: Ego (inquit) hoc vobis gratificabor: vos verò hunc malè præcinctum puerum cavete. Itaque Cicero, cum interrogaretur, Cur ita aberraſſet Pompejum Cæſari præferendo? Præcinctura (inquit) me decepit. *Suet.*

JULIA Auguſti Cæſ. filia, licentiori, quàm par erat, veſtitu ædes paternas ingreſſa, cùm parentem graviter offendiſſet: poſtero die mutato veſtitu, iterùm Auguſtum ſalutavit. Quã ubi vidiſſet, ait: Quantò probabilior eſt hic cultus, tam honeſtus in filia Auguſti? Cui reſpondit: Hodie me parentis, heri verò mariti mei ornavi oculis. *Macrob. l.2. Saturn.*

CALIGULA cum deorum inſigniis, aurea barba & fulmine, aut cum fuſcina & caduceo, plerumque Veneris habitu, aut gemmatus, manuleatus & cycladatus, ſemperque triumphalia ornamenta geſtavit. *Suet.*

LOLLIA Paulina, Caji principis uxor, ſeſtertio quadringenties æſtimatam tunicam ex margaritis habuiſſe fertur. *Solin. & Plin.*

NERO Cæſar nullam veſtem bis induit: plerunque ſyntheſin indutus, ligato circum collum ſudario, prodiit in publicum, ſine cinctu, & diſcalceatus. *Suet.*

HELIOGABALUS primus Romanorum holoſerica veſte uſus fertur, cùm jam ſubſerica in uſu eſſent. *Lamp. in Heliog.*

GALIENUS, cum chlamyde purpurea, gemmatis fibulis, & perſæpè tunica etiam aurata prodiit. *Alex. l.5. c.18.*

☞ *Vide plura in loco de Veſtibus. Tit. Veſtium luxus.*

STRAGULA, STRATA, LECTOS.

Non ſatis eſt Perſis lectos molliter ſubſtraviſſe, verùm etiam lectorum pedes ſuper tapetibus collocarunt, ne pavimentum contrà nitatur, ſed tapetes cedant. *Athen. lib.12. cap.4.*

SMINDYRIDES Sybarita quodam tempore in roſarum foliis recumbens, ſomnumque in iis carpens, expergefactus dixit, Se tubera ex nimia lecti duritie inflicta habere. *Æl. de Var. hiſt. l.9.*

* Romani lectos ſuos primùm è ligno, mox ex auro fabricarunt, ut teſtis eſt *Plin.* primuſque Carbilius Pollio argentum adhibuit.

Apulejus ſcribit, Lectum Indicum teſtudine perlucidum, plurima congerie tumidum, veſte ſerica floridum fuiſſe, *l.10. Met. & Mart. 12. ad Amœn.*

Gemmantes prima fulgens teſtudine lecti.

Alludit ad lectos qui ex teſtudine fiebant. *Iuvenal.* autem veterum frugalitatem cum ſui ſeculi luxu comparans:

Nemo, inquit, *inter curas, & ſeria duxit habendum*
Qualis in Oceani fluctus teſtudo nataret.
Clarum Trojugenis factura ac nobile fulcrum,
Sed nudo latere, & parvis frons ærea lectis,
Vile coronati caput oſtendebat aſelli.

Iavolenus D. l.31. l.100. Cui teſtudinea legata eſſent, & lectos teſtudineis pedibus inargentatos deberi, Trebatius reſponderunt.

Lectorum porrò ſive ſtratorum eburneorum luxum, *Amos* quoque *c.6.* Hieroſolymitanis atque Samaritanis ſui temporis Dei nomine exprobrat, in quibus molliter & delicatè recumbentes, compotationibus immaniſſimis indulgebant.

In Aſſueri convivio magnificentiſſimo, lectuli aurei, & argentei fuerunt in pavimento ſtrati, ut *Eſth. 1.c.* ſcriptum eſt.

Lecti regis Perſarum luxurioſiſſimi deſcriptionem habes apud *Athen. l.12.* Ad illius caput ædificium quoddam erat πεντάκλινον, in quo auri 50. millia talenta ſemper erant repoſita, & id appellabatur προσκεφάλαιον βασιλικὸν, hoc eſt, cervical, ſive pulvinus regius: & ad pedes alia erat ædicula τρίκλινος, in qua erant ſemper tria millia talenta argenti, quod ὑποπόδιον βασιλικὸν vocabatur.

Heliogabalum, tradit *Lampr.* ſolido argento habuiſſe lectos triclinares, & cubiculares.

Laminarum aurearum & argentearum in thoro diſcubitorio meminit *Suet. in Caligula*: Romæ, inquit, in publico epulo ob detractam lectis argenteam laminam, confeſtim carnifici tradidit.

Ad furtum illud de lectis triclinaribus Epigrammatarius quoque poeta carmine quodam alludit. *Apud Virg. Æneid. 1.* in regali convivio Dido regina dicitur aurea ſe compoſuiſſe ſponda.

Hi verò lecti (id quod ferè ſub cœnæ horam fiebat) inſternebantur aulæis, purpura, aut alia veſte ſtragula, pro copia aut inopia convivatoris.

Cùm Claudio, Legionis Martiæ Præfecto, complura forét pro militiæ inſtituto tribuenda, miſit illi Valerianus Imperator accubitalium Cypriorum (ut vocat) paria duo, interulas puras, togam, &c. *Crinit. de honeſt. diſcipl. l.23. c.2.*

Habebant & pulvinos, quibus hinc inde ſeſe fulcirent, & etiam cervicalia ad cervicem. *Martialis in 3. epig.*

Cubitis trudit hinc, in convivas
Effultus oſtro, ſericiſque pulvinis.

Virg. l.1. Æneid. in deſcriptione regalis epuli:

Iam pater Æneas, etiam Trojana juventus,
Conveniunt, ſtratoque ſuper diſcumbitur oſtro. id eſt, Stragulis veſtibus ex oſtro confectis. *Ibid.*

Arte laboratæ veſtes, oſtroque ſuperbo.

• Lecti Eburnei ſtrati veſtibus coccineis referuntur ab *Horat. Satyr. l.2. Satyra 6.*

—— ponit uterque
In locuplete domo veſtigia: rubro ubi cocco
Tincta ſuper lectos canderet veſtis eburnos.

Ex opulentia urbis in tantas prolapſi ſunt delicias Agrigentini, ut obſeſſi à Carthaginenſibus, decreto populi, de his qui in vigiliis ad cuſtodiam pernoctabant, caveretur, ne cui plus culcitra ejuſque circumſtramento habere liceret: tum ne plus veſte ſuffulta, duobuſque pulvinaribus. Cùm hæc itaque lecti in cuſtodiis ſternendi duriſſima conditio videretur, hinc conjicere licet, quanto tum fuerint in reliqua vita luxu delibuti. *Diod. l.13.*

VERUS Commodus ab Adriano adoptatus lectos ſibi fecit ex reticulis, quæ roſarum foliis referſit, ſtragula autem ex liliorum foliis. *Spart.*

Scribit Lampridius, Heliogabalum primùm triclinia, lectos ac porticus omni eorum genere ſtraviſſe liliis, violis, hyacinthis & narciſſis, perque eos ambulaſſe: neque in culcitris, ſeu accubitis (ut appellant) facilè cubuiſſe, niſi quæ leporinum pilum haberent, aut perdicum plumas ſubalares. *Cæl. l.26. c.29. A. L.* ☞ *Vide locum de Lectis.*

BALNEA.

Inventæ ſunt apud Sybaritas caldariæ cellæ, in quibus ſedentes calefiebant. Primique adeò balneatorum artem docuere. *Ath. l.12. c.6.*

Ἁπαλοὶ θερμολουσίας, ἁβροὶ μαλθακευνίας: Molles calidis balneis, teneri mollibus lectulis, proverbio circumfertur de iis qui luxu & mollitie diffluunt. *Suid.*

C. SERGIUS aurata penſilia balnea primus facere inſtituit, quæ impenſa levibus initiis cœpta, ad ſuſpenſa calidæ aquæ tantùm non æquora penetravit. *Val. l.9. c.1.*

C. CALIGULA cum neſciret, quonam voluptatis genere animum explere poſſet, novum balneorum uſum excogitavit, & calidis frigidiſque unguentis lotus eſt. *Pont. c.1. de Connivent.*

Dominici Sylvii Venetorum ducis uxor, ex guttis roris maximo labore collectis corpus in balneis lavit. *Vinc. l.25. cap.53.*

UNGUENTA.

JUNO Angelam filiam ex Jove ſuſceptam, eo quòd unguentum, quo fuci loco ipſa utebantur, Europæ Phœnicis F. communicaſſet, ſummo odio proſequi cœpit, donec tandem Jupiter illam in Acheruſiam deportari, & expiari curavit. Inde Hecale dea credita. *N. Com. Mythol. l.3. c.15.*

Cùm vires unguentorum cognoviſſet Homerus, nullum heroum præter Paridem unguentis unctum narrat. *Athen. l.1. c.12.*

Jones unguenti coronarumque in convivia dandarum, & ſecundæ menſæ ponendæ conſuetudinem primò reperiſſe, teſtatur *Val. Max. l.2. c.1. de Inſtit. antiq.*

Babylli populi unguentis madent, auctore *Plin.* ut Cyprii, Cicizeni, Corinthii, & Parthi.

BÆTON Alexandri judex in inſcriptis Diverſoriis itineris Alexandri, ac Amyntas in Diverſoriis, Tapyrorum genus ita vini ſtudioſum eſſe ſcribit, ut nullo alio utatur unguẽto, præterquàm vino. Hæc eadem ſcripſit & Cteſias in lib. de Tributis Aſiaticis, qui & eos juſtiſſimos eſſe ait. *Ath. l.10. c.13.*

Veteres Græci lavabant Ægyptio unguento pedes & crura, Phœnicino maxillas ac mammas, Siſymbrino alterum brachium, Amaracino cilia & cæſariem, Serpyllino genua & collum. *Ath. l.15. c.15.*

Fuit conſuetudo quædam Athenis, ut qui deliciis dediti eſſent, pedes etiam unguentis perungerent, ut aſſerit *Cephiſod. in Trophonio*:

Vt corpus ungam, emo mihi unguentum: placet,
Nam plurimum trinum, roſeumve, Xanthia:
Emam ſeorſum mox pedibus & baccharim.

Ath. l.22. c.30.

L. B. Theatr. vit. Human. Tom. IV.

POSSIDONIUS ſcribit, in Syria in conviviis regiis, ubi coronæ datæ fuerunt convivis, quoſdam Babyloniorum unguentorum parvos utres habentes ingreſſos, coronas accumbentium conſperiſſe unguentis, ſic ut nihil aliud externum rigarent. *Ath. l.15. c.18.*

Non ſola Sardianorum gens unguentorum fuit ſtudioſa, ſicut Alexis inquit in poculorum artifice, verùm etiam Athenienſes, qui omnibus hominibus optimorum vitæque conferentium introductores extiterunt: apud quos cùm intolerabile eſſet unguentorum pretium, non tamen idcircò ab unctionibus abſtinebant. Alexis columbas quatuor dimittebat perfuſas non eodem unguento omnes, ſed ſingulas proprio, quæ circumvolitantes convivarum veſtes ſtrataque conſpergebant. *Ath. l.15. c.17.*

Græci odorum ita ſtudioſi, ut & corollas & unguenta in potu aſſumerent. *Ælian. l.12. de Var. hiſt. & Ath. l.15. c.15.*

ALEXANDER conſpergebat pretioſo unguento vinoque odorifero pavimentum, myrrhaque & aliis ſuffimentis ſibi ſuffumigari patiebatur. *Ath. l.12. c.18.*

DEMETRIUS Poliorcetes unguentis tum ipſe, tum pavimentum ejus diffluebat: & ſingulis anni partibus flores recentes ei ſubſternebantur, ut in iis veſtigia poneret. *Æl. l.9. var. hiſt.*

L. PLOTIUM, L. Planci bis conſulis cenſoriſque fratrem proſcriptum à Triumviris, in Salernitana latebra unguenti odore proditum conſtat, *l.13. c.3.*

M. OTHO Neroni monſtravit veſtigia etiam pedum unguentis illinere. Cajus Imp. etiam ſolis unguentis temperare. Privatus quidam parietes balnearum aſpergere inſtituit. Aquilas & militaria ſigna Rom. feſtis diebus unguentis illiniri, incertum eſt, quis docuerit. Denique in potu etiam unguenta adhibere non erubuerunt. *Plin. l.13. c.3.*

CORONAS.

Corollarum & corollariorum apud Rom. luxum, pete ex *Plin. l.21. c.2. & ſeq.* Apud Græcos comeſſabundi coronis redimebantur, id quod ex Platonis ſympoſio intelligi poteſt. Mneſtheus certè & Callimachus medici de coronis ſcripſere, quæ nocerent capiti. *Plin. ibid.*

C. JULIUS Cæſar poſt multa præclara facinora, atque actos triumphos petiit, ut publico decreto in conventibus regia veſte indui, coronaque laurea ornari perpetuò ſibi liceret. *Suet.*

HABITATIONES.

M. ANTONIUS Triumvir apud lucos & flumina epulas exquiſitiſſimas inſtruere conſueverat. *Plut. in ejus vita.*

FLAVIUS Vopiſcus, cùm nimio luxu Carinum diffluentem & perditum deſcribit, nihil quo virum taxaret acrius habuit, quàm eum roſis Mediolanenſibus triclinia cubiculaque conſtraviſſe. *Harlunas Hiſt. Mediol. ſect.1.*

INSTRUMENTA QUÆLIBET.

NERO Cæſar, auctore Suetonio, reti aurato, funibus purpura coccoque nexis piſcari ſolebat. *Eraſ. in Adag.*

DOMINICI Sylvii ducis Venetorum uxor, Conſtantinopolitana fœmina, exquiſitarum deliciarum ſupra modum ſtudioſa, cibos manibus contrectare nolebat, ſed ab eunuchis fruſtillatim conciſos, aureis fuſcinulis ori inferri patiebatur. *Vinc. l.25. c.53.* At hodie vel infimi cives argenteis ferculis utuntur.

LUSUS ΧΡΗΣΙΣ, OBJECTO CONSIDERATO RESPECTU CORPORIS, CUI OFFERTUR ACTIVE, QUOAD SENSUM

Viſus. Supra modum aſpectu gratis delectari.

☞ *Huc immoderatio in Coloribus, Imaginibus, Picturis, Aulæis, Tabulis ſpectandis.*

Ingratis triſtari.

Sybaritæ ne aſpectum quidem agricolarum ſquallidum, & præſertim opus facientium ferebant, quòd vel hac ratione laboris communionem ſibi imponi vererentur. *Ath. l.12. c.6.*

Auditus. Supra modum auditione *Iucunda oblectari.*

☞ *Vide Tit. Muſicæ ſtudium: item* Λογολεσχία Ἀδολεσχία.

Injucunda affligi, averſari.

Sybaritæ adeò molles erant, ut agricolarum vocem aſperiorem ferre non poſſent, ſed neque gallorum cantum, neque ſedentariorum artificum ſtrepitum, quos idcircò urbe omnes expulerunt. *Ath. l.12. c.6.*

LEPIDUS trimvir deductus à magiſtratibus in nemoroſum hoſpitium, minaciter cum iis poſtero die expoſtulavit, ſomnum ademptum ſibi volucrum concentu. At illi draconem in longiſſima membrana depictum circumdedere loco. Eoq;

A terrore aves, tum ſiluiſſe narratur; & poſteà cognitum eſt ita poſſe compeſci. *Plin. l.35. c.11.*

Olfactus, Odores.

Suaves ſupra modum ſectari.

Thraces pulchrum eſſe arbitrantur, vinum per veſtes effundere, & vinum redolere. *Ath. l.10. c.9. & Suidas.*

Claudius Cæſar ambulans quondam in Auguſti foro, illectuſque nidore prandii, quod in maxima Martis æde Saliis apparabatur, deſerto tribunali, aſcendit ad ſacerdotes, unàque diſcubuit. *Suet.*

Sultanus olim Ægypti tyrannus ſolebat cereis immiſcere ambram, voluptati atque valetudini ſimul conſulens. *Card. de ſubtil. lib. de Miſtis.*

Dominici Sylvii Venetorum ducis uxor Conſtantinopolitana genere, cubiculum ſuum ea odorum varietate referciebat, ut nimia ſuavitate ingredientium penè ſenſus obruerentur. *Sab. l.4. Dec.1.*

Muleasses Tunetanus rex, ex infelici prælio fugiens, odore veſtimentorum, quo ſupra modum delectabatur, proditus fuit & captus. *Iovius.*

B *Fœdos ſupra modum fugere.*

In Myrtalem Martialis *Epigram. l.5.* ſic ludit:

Fœtere multo Myrtale ſolet vino:
Sed fallat ut nos, folia devorat lauri,
Merumque cauta fronde, non aqua miſcet.
Hanc tu rubentem prominentibus venis
Quoties venire Daule videris contra,
Dicas licebit, Myrtale bibit laurum.

In Feſcenniam Martialis *l.1.* in hunc modum:

Ne gravis heſterno fragres Feſcennia vino,
Paſtillos Coſmi luxurioſa voras.

Betre Indi, ſuavioris halitus gratia, cum aliis mixtum, potentiores maſticant. Idemque faciunt plebei cum potentioribus locuturi. Vel qui eo carent, manum ori apponunt, ne eos halitu offendant: Os enim non habere odoratum, ſummæ apud eos eſt incivilitatis. Mulieres quoque viris congreſſuræ illud Betre maſticant, laſciviæ maximum id eſſe illectamentum arbitrantes. Sed ab ejus uſu abſtinent, cùm defunctos propinquos lugent. *Io. Metellus.*

Tractus. Secundùm qualitates primas.

C *Frigoris, Caloris.*

☞ *Vide ſuprà, Veſtitus immoderationem. Item Balneorum.*

Hyemis tempore non caput ſolùm corpuſque & pedes texiſſe Perſis ſufficit, verùm etiam chirothecas habent ac digitalia circa ſummum manuum. *Ath. l.12. c.4.*

Motum. Mollities Quoad

Inceſſum, Deambulationem.

Rex Perſarum de curru deſcendens, neque deſilit, quamvis exigua ſit altitudo à terra, neque hominum manibus fulcitur; ſed aurea ſedes illi ſemper apponitur, in quam deſcendit. A mulieribus ccc. cuſtoditur interdiù noctuque, & per aulam harum pedes incedens, Sardiacis tenuibus tapetibus ſuppoſitis, ſuper quibus nulli præterquàm regi incedere licet, ubi ad extrema aulæ pervenit, aſcendit in currum aut equum; nam pedes nunquam extra regiam conſpectus eſt. Quòd ſi ad portam exiret, aderant illi etiam pellices, thronuſque in quo jus diceret, erat aureus, circa quem quatuor aureæ columnæ lapillis diſtinctæ mirum in modum circumponebantur, inter quas purpurea veſtis variegata extendebatur. *Ath. l.12. c.4.*

D *Equitationem.*

Circa annum Domini 630. Pontifices Britanni & prælati Angli primùm cœperunt equis ire: cùm priùs pedes, & in neceſſitate non niſi ſuper equas veherentur. *Beda, Ranulphus, Fabræus, Balæus, cent.1. c.74.*

Perſæ plura ſtrata in equis habent, magis molliter ſedere, quàm rectè equitare cupidi. *Ath. l.12. c.4.*

Vectationem.

Sybaritæ ruſticatum ituri, curru vehebantur tam lentè, ut diurnum iter vix tribus diebus conficerent. *Ath. l.12. c.6.*

Alexander M. per Carmaniam equis octo cum amicis in pulpito comeſſabundus vectus eſt. *Plut. in Alex.*

Speusippus, quum vehiculo ferretur in Academiam, obvium habuit Diogenem. Cui cùm, Salve, dixiſſet: At tu, inquit, nequaquam ſalve: quia ejuſmodi cùm ſis, non diu vivere cupis. Notavit autem mollitiem hominis, quæ plerumque multorum morborum cauſa eſt, ut labor & exercitium ſanitatis. *Bruſon. l.4. cap...:*

Gymnaſiorum uſum.

Plut. in com. Quæſt. Rom. Non aliud quicquam, inquit, Græcis ſervitutem ac mollitiem attuliſſe Romani putant, E quàm gymnaſia & palæſtram: quòd iis langueſcant adoleſcentum animi, ac effœminentur penitùs. Quæ ſi quis effugere ſtudeat, in pulverem prodire, & (ut Græcè dicam) εἰς ὕπαιθρον, hoc eſt, in ſubdiale ſpatium oportet. At qui domi & in umbra, balneis & unctionibus molliter ſe curant, hæc ſubire neceſſe eſt. *Cæl. l.30. c.10. A.L.*

Quietem.

Domi manendo.

Sybaritæ eos derident, qui ex patria diſcedunt, ipſique magnoperè gloriantur, cùm ſuper fluviorum pontibus conſenuerint. *Ath. l.12. c.6.*

Sedendo.

Athenienſes veteres in publicum prodeuntes, ſervos ducebant ſecum ſellas geſtantes, quibus defatigati commodè ſederent. *Ælian. l.4. de var. hiſt.* F

Membra non movendo.

Clitarch. l.5. Vitar. Sagarim Mariandrum ſcribit ad ſenectutem uſque ob delicias, nutricis uberibus fuiſſe educatum, ne cibum mandendo defatigaretur: nunquam etiam manus inferiùs umbilico tuliſſe. *Ath. l.12. c.12.*

Passive. Quoad

Somnum, Vigiliam.

Antipodes vocat *Cæl. l.9. c.13. A.L.* ſcita illuſione eos, qui ſaginæ mancipati, ad faces & cereos vivunt, dum inter pocula tranſiguntur noctes, ſomno impenduntur dies, lucis ac tenebrarum ordine perverſo. De his putat Virgilium dixiſſe:

Noſque ubi primus equis Oriens afflavit anhelis,
Illic ſera rubens accendit lumina Veſper.

Smindyrides Sybarita, cùm vellet demonſtrare, quàm feliciter ageret: ſe neque orientem, neque occidentem ſolem intra ſpatium xx. annorum vidiſſe dictitabat. Manè enim dormiebat, tardèque expergiſcebatur. *Athen. l.6. cap.8. & Ælian. l.9. & 12. Var. hiſt.*

Alexander Macedo ex vinolentia biduum ſæpè obdormivit integrum: quod in Ephemeride ipſius, Cardanus atteſtatur Eumenes. *Ath. l.10. c.11.* G

Cultum Corporis In Genere.

☞ *Quatenus cultus, veſtitus, fucuſque corporis veluti lenocinium formæ eſt, ad Titulum Libidinis accendendæ referri poteſt. Hic ſolius voluptatis, quæ ex aſpectu ornatorum naſcitur, ratio habetur.*

Jezabel Sidoniorum regis F. Achab Iſraelitarum regis uxor, mulier ſtupris, & flagitiis nobilitata, cùm filius ejus Joram à Jehu divinitùs in regem uncto interfectus eſſet, faciem nihilominùs ſibi fucavit, & caput compſit. Juſſu igitur Jehu à tribus eunuchis de feneſtra præcipitata eſt, & ab equis Jehu conculcata, tandem à canibus ita dilaniata, ut præter calvam & pedes manuumque palmas nihil inveniretur. 3. *Reg.9.*

Fœminæ quæ fuco tinctæ, unguentis delibutæ, auro excultæ ſunt, & purpura, luxurioſæ habentur: balneum, unctionem, & comæ comptum carpit nemo. Eleganter Homerus diſcrimen in Junonis cultu oſtendit:

Ambroſia primùm florentis Iuno coloris
Deterſit ſordes, udoque perunxit olivo.

Hactenus cura & mundities eſt. At ubi jam aureas fibu- H las addit, atque elaboratas arte inaures, ac denique ad præſtigias ſe convertit, jam ibi luxus eſt, & abhorrens à matrefamilias lenocinium eſt. *Plut. l.6. conv. q.7.* His lenociniis Jovem decepit, eumque ſoporavit, ut intereà ejus præſidio deſtituti Trojani à Græcis cæderentur. Jupiter expergefactus, eam rem indigniſſimè tulit. Sub hac fabula oſtendit *Homerus Illad. ξ.* formam fucatam uxorum, non tam conciliare gratiam maritorum, quàm eorumdem odium, cùm non honeſtæ Junoni, ſed Veneri impudicæ conveniat. *Plut. de legend. Poet.*

Bacchi mollitiem Seneca in Hercule furente exprimit:

Non erubeſcit Bacchus effuſos tener
Sparſiſſe crines, nec manu molli levem
Vibraſſe thyrſum, quum parum forti gradu
Auro decor ſyrma barbaricum trahit.

Tincturam capillorum, teſte Clemente, Medea primùm invenit. Hinc dicta ſenes mutaſſe in juvenes.

Indorum Regis corpus emptitiæ mulieres curant. Servis alioqui non utuntur. *Strabo l.15.*

Inde

A Indi in cultu corporis nimii, & aurum geſtant, & lapillis ornantur, & ſindonem candidiſſimum induunt, & umbellas ſecum portant; nam pulchritudinem excolentes, omnia faciunt, quæ ad decorandam faciem pertinent. *Strabo lib.15.*

Cultus Perſarum regis luxuria præcipuè erat inſignis. Purpureæ tunicæ medium albo intexebatur. Palla verò picturata erat, aureis accipitribus velut roſtris mutuò ſe petentibus. Zona ſuccingebatur aurea, ſed muliebriter. Ab ea propendebat acinaces, vagina gemmata. Capitis inſigne à Perſis nuncupatur cidaris: ambit id cerulei coloris faſcia, albo intermicante. *Cælius lib.8. cap.2. A.L.*

Sardanapalus ultimus Aſſyriorum rex, luxurioſiſſimus, & muliere corruptior, cùm muliebri habitu inter mulieres verſaretur, à conjuratis interfectus eſt. *Oroſius lib.1. c.19.*

Maurorum comæ cincinnis exornantur, & barba, & auro, & terſura dentium, & unguium cultu. Rarò videas inter ſe contingere, dum ambulant, ne capillorum ornatus perturbetur. *Strabo lib.17.*

Aristoteles gaudebat mundo cultu, & elegante, comam- B que delicatiùs tondebat: annulis prætereà digitos onerabat & in hoc placebat ſibi nimiùm. Quo factum eſt, ut mollitiei ſuſpectus haberetur. *Laert. & Athen.*

Alcibiades, cùm pulcherrimus eſſet aſpectu, comam per plurimam partem ætatis nutrivit, calceoſque varios geſtabat, qui ab ipſo poſteà Alcibiades dicti ſunt. Ubi verò ludos ederet, cum pompa purpuream veſtem geſtabat, ac ingrediens in theatrum, non hominibus ſolùm omnibus, verùm etiam mulieribus erat admirationi. *Athen. lib.12. c.16.*

Heraclides Ponticus natus eſt Heracleæ in Ponto. Eum narrat Laertius, cùm delicata veſte uteretur, & in cultu corporis magnum ſtudium poneret, necnon in inceſſu ſpeciem quandam retineret, ac ſedato greſſu uteretur, Atticos immutato leviter nomine πομπικὸν ſolitos vocare. Quæ enim in pompa ferebantur, ſplendoris ac magnificentiæ plena erant. *Victor. lib.19. Var. lect. cap.1.*

Lycon ex Troade, Stratonis diſcipulus, habitu mollis fuit. *Laertius.*

Demetrius Phalereus ob corporis cultum Lampeto, & Caritoblepharus ob ciliorum elegantiam dictus. *Suidas.*

C Demetrius Poliorcetes, occupata Macedonia, non ſolùm amiciebat ſe, & caput ornabat nullo exemplo dimittis, cauſiis, atque auro intertextis purpuris: verùmetiam pedibus adhibuit auratas ex pura purpura compacta ſoleas. Chlamys ei longo tempore texebatur, ſuperbum opus, ad ſimulacrum mundi & ſiderum, quam rudem in rerum converſione reliquit: neque ita ſuſtinuit quiſquam uti, quamvis ſucceſſerint ei non pauci in Macedonia faſtuoſi reges. *Plut. in Demetrio.* Capillos decorè pectendo diſponebat, & rufos faciebat, faciemque ungebat: itemque aliis unguentis utens, ſummum ſtudium ſuæ inertiæ impendebat. *Ælian. lib.9. de var. hiſt.*

De Rom. mulierum luxu *Plautus in Pœnulo* hæc introducit:

Apageſis negotii quantum in muliere una eſt:
Si vero duæ, ſat ſcio, maximo uni
Populo, cui lubet, plus ſatis dare potis ſunt,
Atque hæc ita loquor, nunc modo docta dico.
Nam nos uſque ab aurora, ad hoc quod diei eſt,
Poſtquam aurora illuxit, nunquam ceſſavimus
D *Ex induſtria ambæ, nunquam conceſſavimus*
Lavari, aut fricari, aut tergi, aut ornari,
Poliri, expoliri, pingi, fingi: & una,
Binæ ſingulis, quæ datæ nobis, ancillæ,
Eæ nos, lavando, eluendo operam dederunt,
Aggerendaque aqua ſunt viri duo defeſſi.

Q. Hortensius, orator poſt Ciceronem ſummus, vir alioqui ex profeſſo mollis, & in præcinctu ponens omnem decorem, fuit veſtitu ad munditiem curioſo. Et ut benè amictus iret, faciem in ſpeculo quærebat: ubi ſe intuens, togam corpori ſic applicabat, ut rugas non ſorte, ſed induſtria locatas artifex nodus aſtringeret, & ſinus ex compoſito defluens, modum lateris ambiret. Is quondam cùm incideret elaboratus ad ſpeciem, collegæ de injuriis diem dixit, quòd ſibi in anguſtiis obvius, offenſu fortuito ſtructuram togæ deſtruxerat, & capitale putavit, quòd in Homero ſuo locum ruga mutaſſet. *Macrob. lib.3. Satur. c.13.* L. Torquatus ſubagreſti homo ingenio, cum de cauſa Syllæ in judicio quęreretur, non jam hiſtrionis, ſed Dionyſiæ notiſſimæ ſaltatriculæ nomine eum appellavit. At Hortenſius voce molli atque demiſſa: Dionyſia, inquit, Dionyſia malo equi- E dem eſſe, quàm quod tu, Torquate, ἄμυσος, ἀχροδίαιτος, ἀπρόσιτος. *Gell. lib.1. Noct. Att. c.5. & Macrobius.*

Poſthumia Veſtalis de inceſtu cauſam dixit, ob ſuſpicionem cultus elegantioris, ingeniumque liberius, quàm virginem deceret, parùm abhorrens à fama; abſoluta tamen pontificum ſententia, qui eam abſtinere, colereque ſanctè potius, quàm ſcitè juſſerunt. *Livius lib.4. & 2. & 22.*

Moecenas unus ex Hetruriæ regibus (quem Horatius & Propertius ad ſidera uſque attollunt) delicioſus non ſolùm cultu & moribus, verùm etiam ſtylo dicendi. Quare Auguſtus eum Malacinum vocabat, exagitabatque frequenter, teſte Tranquillo, ut Cacozelum & μυροβρεχέα, id eſt, unguento madidum. *Volat. lib.17. Antrop.*

Otho Imp. fuiſſe traditur munditiarum penè muliebrium, vulſo corpore, galericulo capiti propter raritatem capillorum adaptato, & annexo, ut nemo dignoſceret. Quin & faciem quotidie raſitare, ac pane madido linere conſueverat ne barbatus eſſet. *Suet.*

Cultum In Specie. Nempè
quoad ea quæ F
addunt ornatum

Faciei, Oculis. Fucus faciei.

Lucilii lepidiſſimum extat epigr. in Vetulam fucatam:

Τὴν κεφαλὴν βάπτεις, τὸ δὲ γῆρας οὔποτε βάψεις,
Οὐδὲ παρειάων ῥυτίδας ἐκτανύσεις.
Μὴ τοίνυν τὸ πρόσωπον ἅπαν ψιμύθῳ καταπλάττε,
Ὥστε προσωπεῖον, κοὐχὶ πρόσωπον ἔχειν·
Οὐδὲν γὰρ πλέον ἐστί. τί μαίνεαι; οὔποτε φῦκος
Καὶ ψίμυθος τεύξει τὴν Ἑκάβην Ἑλένην.

Cælius lib.29. cap.7. Antiq. Lect.

Cyrus etiamnum puer in Mediam cum matre profectus, quum videret Aſtyagem avum regem ſubpicturatione oculorum, & coloris infricatione, & appoſititiis comis Medorum more ornatum: Quàm pulchrum (inquit) avum habeo, mater! Illa verò quum rogaret, Uter ipſi pulchrior videtur? hiccine, an pater? reſpondens Cyrus, Perſarum quidem, ait, ò mater longè pulcherrimus eſt pater meus: Medis autē, quotquot equidem vidi quum in viis, tum in oſtiis, multùm avus hic meus elegantia præſtat. *Xenophon. 1. Pædiæ.* G

Turpis belluæ excremento uti ſolitas olim delicatas Mulieres pro fuco, crocodilli inquam ſtercore, indicavit etiam Horatius carmine, quo deformem mulierem vetulamque vexat:

—— nec illi
Iam manet humida creta, colorque
Stercore fucatus crocodilli.

Antiphanes comicus (apud Clementem Alexandrinum in tertio libro Pædagogi) intra plura medicaminum genera, hoc etiam nominavit: κροκοδείλων ἀποπάτοις χρώμεθα, καὶ σηπεδόνων ἀφροῖς ἐγχριόμεθα, καὶ ταῖς ὀφρύσι τὴν ἀσβόλην ἀναματτόμεθα, καὶ ψιμυθίῳ τὰς παρειὰς ἐντριβόμεθα. *Victorius lib.11. Var. lect. c.4.*

Capillus. Capillorum fucus.

☞ *Vide in Loco de Capillis.*

In Phœbum, *Martialis lib.6.*

Mentiris fictos unguento, Phœbe, capillos,
Et tegitur pictis ſordida calva comis.
Tonſorem capiti non eſt adhibere neceſſum:
Radere te meliùs ſpongia, Phœbe, poteſt. H

Lysicrates quidam in vulgi fabulam abiit, quòd capillos jam canos nigro colore tingeret, quò juvenis etiamdum videretur. Cujuſmodi ridetur apud *Martialem* Ollus, comam tingens, cum barbam non poſſet. *Eraſm. in Adag.*

L. Verus Imp. capillorum adeò curioſus, ut eos ramento auri illineret. *Sab. lib.5. Enn.7.*

Galienus, & ante eum Commodus Imperatores, comas prolixas ſcobe auri aſpergebant. *Lampridius & Herodianus.*

In Lentinum, *Martialis Epigr. lib.3.*

Mentiris juvenem tinctis, Lentine, capillis.
Tam ſubitò corvus, qui modò cygnus eras.
Non omnes fallis. Scit te Proſerpina canum;
Perſonam capiti detrahet illa tuo.

Nero Cæsar circa cultum habitumque adeò pudendus, ut comam ſemper in gradus formatam, peregrinatione Achaica etiam ponè verticem ſubmiſerit. *Sueton.*

Digitis, Annulis.

Teſtatur Empolis in Marica, Cyrenæorum contemptiſſimos apud eos, & abjectiſſimos, decem minarum baltheos habuiſſe,

A buiſſe, mirabilique arte ſculptos anulos. *Ælianus lib.12. de Varia hiſt.*

Staturæ.

Mos erat Græcarum mulierum, in calceis ſuberem geſtandi, ut grandiores viderentur. Id perſpicitur ex longo carmine Alexidis comici, à Clemente Alexandrino *in 3. lib. Pædagogi* poſito. *Xenophon in Oecon.* uxorem Iſchomachi ὑποδήματα ὑψηλὰ habentem introducit, ὅπως μείζων δοκεῖν εἶναι ἢ ἐπεφύκει. *Victorius l.15. Var. lect. cap.23.*

Habitui.

Atticarum matronarum ſtudium, quod ponerent in extenuando corpore filiarum, commemorat apud Terentium in Eunucho Chærea, cùm ſpeciem Virginis, quam viderat, habitudinemque corporis ſummis laudibus tolleret. Verba adoleſcentis repentino amore capti, hæc ſunt: Haud ſimilis virgo eſt virginum noſtrarum, quas matres ſtudent demiſſis humeris eſſe, vincto pectore, ut graciles fiant. Si quæ eſt habitior paulò, pugilem eſſe ajunt, diducunt cibum. Tametſi bona natura, reddunt curatura junceas. Primùm igitur, ut apparet, faſciis pectus devinciebant, ne habitiores B fierent; quæ ratio valdè utilis eſt corporis amplitudini coercendæ, ut medici quoque teſtantur. Victus deinde ratione, detrectationeque cibi, ſi qua plenior natura fuiſſet, tenuiorem reddebant. Plutarchus tamen, qui & ipſe hujus laudis mulieres cupidas eſſe tradit, alio etiam remedio ipſas uti ſolitas docet: cùm enim in commentariolo, quem inſcripſit, αἰτίαι φυσικαὶ, voluiſſet rorem vim quandam mordendi, erodendique habere, hoc etiam tanquam ſigno quodam teſtimonioque id confirmavit, quòd meatus corporis tenues redderet eorum, qui ipſum vorare conſueſſent: Unde, inquit, pingues mulieres, veſtimentis aut velleribus mollibus rorem excipientes colligenteſque, videntur hoc remedio conſumere ac minuere pinguitudinem. *Victor. l.2. Var. lect. c.6.*

Auferunt ingrata noxia. Videlicet
Æſtum, Solem, Vmbracula.

Per æſtatem non arborum aut ſaxorum umbræ Perſis ſufficiunt, ſed homines in his alia umbracula machinantes adeſſe ſolent. *Athen. lib.12. c.4. Clearchus lib.2. Vitarum*, Lydi (inquit) viridaria ob delicias parantes, in umbra nutriuntur. C Maximè ad delicias ſpectare putant, ſi radii ſolis eos prorſus non attingant, *ibidem*.

Sybaritarum nonnulli umbraculis vias in agros ducentes ne ſolis radiis offenderentur, muniebant. *Athen. l.12. c.16.*

Cottis rex Thracum per regionem ſuam comeſſabundus proficiſcens, ad fontes & loca arborum umbris opaca verſabatur, *teſte Athen. lib.12. cap.14.*

Alexander Magnus in Carmania arborum recentium, virentium ramis curru vectus, umbram captabat. *Plut. in Alex.*

Quis non jure miretur, arborem umbræ gratia tantùm ex alieno petitam orbe ab iis, qui σκιατραφούμενοι appellantur? Platanus hęc eſt, per mare Jonium in Diomedis inſulam ejuſdem tumuli gratia primùm invecta, inde in Siciliam tranſgreſſa, atque inter primas donata Italiæ, etiam ad Morinos uſque pervecta, ad tribunarium etiam pertinens ſolum, ut gentes vectigal & pro umbra pendant. Dionyſius prior Siciliæ Tyrannus Rhegium in urbem tranſtulit eas, domus ſuæ miraculum, ubi poſteà factum Gymnaſium. Apud Romanos tantum honoris iis increvit, ut mero infuſo enutrian- D tur: compertum id maximè prodeſſe radicibus. Theſſalicus Claudii Imp. Libertus prædives, veluti alter Dionyſius, in ſuburbana ſua in Italiam è Creta tranſtulit. *Plin. lib.12. c.1. & Theophraſtus lib.4.* Cajus princeps etiam in platano Veliterni ruris tabulata, cujus laxiſque ramorum trabibus ſcamna patula miraculo fuerant, epulatus eſt: eamque cœnam appellavit ille Nidum. *Cælius lib.25. cap.1.*

Pilos.

☞ *Vide Titulum Tonſuræ. Illic Curæ corporis, hic Voluptatis, quæ ex illa percipitur, habetur ratio.*

Omnes illi Barbari, qui ad Occidentem vergunt, unguento perfunduntur, corporaque raduntur, & apud Tyrrhenos officinæ complures, & artifices hujuſce rei reperiuntur, velut ſunt apud nos tonſores: ad quos cùm acceſſerint, ſeipſos ad omnia tradunt, neque videntium aut accedentium aſpectum ullo pacto formidant. *Athen. lib.12. c.5.*

Πιττοῦν Græcis aliquando artificium quoddam turpe ſignificat improborum hominum, qui pice illata pilos detergebant è partibus corporis, quas natura veſtitas eſſe voluit. A materia enim, qua uterentur in fœdo miniſterio, ſtudium illorum apppellatur. Uſus eſt ſæpè Clemens Alexand. hoc E verbo *in 3. lib. Pædagogi*, ubi tam molle delicatumque inſtitutum accuſat, queriturque de moribus ſui temporis, quibus nefaria hæc venus flagraret, inveniretur que tanta copia cinædorum, ut extarent, qui hoc unum ſtudium haberent. *Vict. l.9. Var. lect. c.14.*

Clear. l. Vitar.4. Tarentinos ſcribit in tantum deliciarum deveniſſe, ut totam cutem lævem facerent, nuditatiſque hujus reliquiis ſacrificarent. *Athen. lib.12. cap.7.*

C. Jul. Cæsar circa corporis curam moroſior erat, ut non ſolùm tonderetur diligenter, ac raderetur, ſed velleretur etiam, ut quidam exprobraverunt. *Sueton.*

Capillos.

☞ *Huc nimia cura Tonſuræ, Diſcriminis, & ſimilium.*

Cæus quidam, ætate provectus, venit Lacedæmonem, & cùm aliàs turgeret ſuperbia, propter ſenectutem reverenter habebatur: tamen canos occulere conabatur tinctura. Inde cùm in conſpectum Lacedæmoniorum prodiiſſet, oſtenſo tali capite, expoſuit, quorum gratia venerat. Conſurgens autem Archidamus rex Lacedæmoniorum: Quid, inquit, F hic ſani dicere, cujus non ſolùm animus, verùm etiam caput fucis contaminatum eſt? *Ælian. lib.7. de Var. hiſt.*

Diogenes cuidam habenti capillos unguento delibutos, Cave, inquit, ne capitis ſuaveolentia vitæ maleolentiam adducat (ut Græcarum vocum jucundam affinitatem utcumque reddamus, εὐωδίαν & δυσωδίαν.) Unguentum in viro arguit vitæ mollitiem: Fama velut odor hominis eſt. Simile quiddam dixit Martialis:

Nævole non bene olet, qui bene ſemper olet.

Laert. lib.6. & Stobæus. Eraſmus.

Sordes.

☞ *Vade ſuprà, Luxus circa balnea, quatenus detegerunt ſordes.*

Neronis uxor Poppea Sabina, quocumque tenderet, ſecum ingentes aſinarum greges trahebat, ut earum lacte lavaretur. *Plin.*

Ariſtophanes in Pluto: Abſtergemus nos non punicibus ampliùs, ſed cauliculis allii, præ luxu. Ridiculè hoc dictum, pro ſapone, de Athenienſibus olim comedentibus allium, quaſi nunc locupletati veterem victus rationem contemne- G rent. *Suid.*

Luxus Pœna. ☞ *Pete ex Loco de Pœna & Punitione.*

DE LUXU MODERANDO
* Apophthegmata Ethnicorum.

Pythagoras dicebat, in civitates primùm irrepſiſſe delicias, mox ſaturitatem, deinde violentiam, poſtremò exitium. *Laert. 7. lib. cap.1.*

Aristippus. Quum quidam illi probro darent, quòd ſplendidè exquiſitèque viveret philoſophus: Id, inquit, ſi vitium eſſet, in celebritatibus Deorum nequaquam fieret. In his enim & magnificè veſtiri, & lautiſſimo ciborum apparatu ſolent uti. Porrò cum Dii ſint infenſi vitiis, non placarentur, ſed irritarentur ejuſmodi magnificentia, ſi ea cum vitio eſſet conjuncta. Sic ille quidem eluſit convitium, non oſtendit, quid eſſet optimum. *Laert. lib.2. cap.8.*

Zeno Citticus quendam audiens luxuriam ſuam ſic coram bonis viris excuſantem, ut diceret, ſe ex eo, quod ſuperfluum ſibi eſſet, ſumptum facere; argutiſſimè reſpondit: Age dic, dares etiam vinum coquo tuo, ſi cum opſonia plus æquo H ſalſa daret, diceret ſibi copiam ſalis eſſe? Senſit vir prudentiſſimus, nequaquam ex multa rerum copia victum moderandum eſſe, ſed ex neceſſitate naturæ, quæ paucis contenta eſſe ſolet. *Laert. lib.7. cap.1. Maxim. ſerm.61.*

Crates quendam deliciis luxuiq; deditum ita per jocum admonuit: Ne pro lenticula ſemper augeas patinam, ne in ſeditionem nos conjicias. Sentiens, à luxu cupediiſq; plerumque naſci diſſidia. Lenticula Philoſopho cibus eſt, λόπας carnes habet, & in divitum menſis circumfertur. *Laert. l.6. c.7.*

Antisthenes, quodam prædicante delicias: Hoſtiũ, inquit, filiis contingat, in deliciis vivere: artem peſtilentem deteſtãs, quod plerique pro ſummo bono amplectuntur. *Laert. l.6. c.1.*

Diogenes inviſerat Lacedæmonem: inde Athenas reverſum, quidam percontabantur, ut fit, quò iret, & unde veniret? A viris, inquit, ad fœminas: notans Athenienſium deliciis effœminatos mores, quum Lacedęmonii durè inſtituerentur. *Laertius lib.6.* Idem videns delicatum quendam hominem à ſervo calceari: Nondum, inquit, ſat beatus es, niſi te etiam abſtergat: id autem erit, ſi mancus fueris. *Laertius lib.6.*

Idem,

A Idem, Luxurioſum quempiam in diverſorio conſpiciens, veſcentem oleis: Si ſic prandiſſes, inquit, non ita cœnares; ſentiens, non eſſe frugalitatis, quòd ederet oleas; ſed quòd ſtomachus nimis lauto prandio gravatus, nihil appeteret in cœna, vel potiùs, quòd ingenti opum vi prodigaliter abſumpta, tenuiter vivere deinceps cogeretur. Nam tenue prandium optimè condit cœnam. *Laert. l.6.* Idem ad eum, qui obſoniis, & luxui plus æquo indulgebat, illud Homericum accommodabat:

Ὠκύμορον δή μοι τέκος ἔσσεαι. id eſt.

Nate mihi fueris brevis ævi: ſignificans, illum ſibi luxu mortem acceleraturum. *Laert. l.6.* Idem eos, qui per luxum in coquos, nepotes, ſcorta, & adulatores, facultates ſuas profunderent, ſimiles dicebat arboribus per præcipitia naſcentibus, quarum fructus homo non guſtaret, ſed à coruis, & vulturibus ederentur: ſentiens, eos, qui gulæ ventrique ſerviunt, non eſſe homines. *Laert. Idem Cratoni tribuitur à Stob.* Idem ſtomachabatur in eos, qui pro bona valetudine Diis munera offerrent, & in ipſo ſacro omnibus voluptatibus ſe obruentes perderent. *Laer. lib.6.* Idem ajebat, faciles B eſſe Deos ad donandum hominibus vitam, cæterùm hanc ignorari ab his, qui quærunt dulciaria, unguenta, aliaſque hoc genus delicias. His enim qui fruuntur, credunt vivere: quum veram vitam tranquillam ac ſuavem ſola præſtet ſapientia. Non igitur dii ſunt incuſandi, ſed homines qui per ſtultitiam non poſtulant ab illis vitam, ſed voluptates. *Laert. l.7.* Idem: Qui ſcopum non attingunt, hi vulgò ἀτυχεῖν, id eſt fruſtrari dicuntur. At Diogenes negavit illos fruſtrari, qui aberrarent à ſcopo; ſed eos, qui curas ſuas ad voluptates velut ad ſcopum dirigerent. Nam ab iis petunt beatitudinẽ, cum per eas deveniant in ſummam miſeriam. *Laert. lib.6.*

Heraclivus, in ſeditione rogatus, ut apud populum ſententiam diceret, quo pacto civitas redigi poſſet in concordiam; conſcenſo ſuggeſtu, popoſcit calicem aquæ frigidæ, & paululum farinæ inſperſit, mox de glechone admiſcuit, quod eſt vel pulegii ſylveſtris, vel leguminis genus. Deinde epoto calice diſceſſit, nec verbum addidit: hoc pacto innuens, ita demùm civitatem carituram ſeditionibus, ſi repudiatis deliciis aſſueſcerent parvo contenti eſſe. Et hìc Heraclitus ſuo reſpondet nomini. Nam σκοτεινὸς dictus eſt, C id eſt, tenebricoſus. *Referatur & hoc inter ἄφωνα apoph. Eraſ. in apoph. ex Plut.*

Socrates dicebat, eos, qui ſe ad continentiam ac frugalitatem exercuiſſent, & longè plus habere voluptatis, ac minus dolorum, quàm qui ſumma cura undique pararent oblectamenta, quòd voluptates intemperantiam, præter animi ſibi malè conſcii cruciatum, præter infamiam ac paupertatem frequenter ipſi etiam corpori plus adferant modeſtiæ, quàm delectationis. Contra quæ ſunt optima, eadem fiunt jucundiſſima, ſi quis aſſueverit. *Laert. l.2. c.5.*

Plato generoſum conſpicatus adoleſcentulum, patrimonio conſumpto, ad fores Pandochi panes edentem, & aquam bibentem: Si, inquit, ſic moderatè prandiſſes, nunquam ſic cœnares. *Maxim. ſerm.61.* Idem conſpiciens Agrigentinos magnis impenſis ædificare, eodemque modo cœnare: Agrigentini, inquit, ædificant, quaſi ſemper victuri, & comedunt quaſi ſemper morituri. Dicit autem Timæus, eos lecythis argenteis, & ſtrigilibus uſos eſſe, menſas totas eburneas habuiſſe. *Ælian. lib.11. de var. hiſtor.*

Sophiſta Polyænus ingreſſus ædes Ariſtippi, quum vide- D ret illic mulieres pulchrè ornatas, ac magnificè inſtructum convivium, cœpit reprehendere tantum in philoſopho luxum. Ariſtippus diſſimulata objurgatione aliquãtò: Poteſne, inquit, hodie nobiſcum eſſe. Cum ille non recuſaſſet: Quid igitur, inquit, incuſas? Videris enim non lautiorem menſam reprehendere, ſed impendium. Nam ſi convivium ob hoc ipſum diſplicuiſſet, quòd eſſet lautius, recuſaſſet eſſe conviva. Porrò probare quidem apparatum, ſed offendi ſumptu, non frugalis, ſed avari hominis eſſe videtur. *Laert. lib.2. c.8.*

Mnedemus Antigono conſulenti, deberetne ad comeſſationem quandam adire, poſt ſilentium nihil aliud reſpondit, quàm: Regis filius es. Subindicans, luxum indecorum eſſe regno natis, nec potentibus licere quodlibet. *Laert. lib.2. c.38.*

Dionysius ſophiſta familiaribus dicere conſuevit, mel ſummo digito, non cava manu guſtandum eſſe. Sentiens, voluptates quàm parciſſimè admittendas. *Philoſtrat. in Sophiſt.*

Arcesilaus Scytha percontanti, qui fieret, ut ab aliis ſectis multi deficerent ad Epicureos, ab Epicureis nulli deſciſcerent ad alios: Quoniam, inquit, ex viris Galli fiunt, ex Gallis viri nequaquam: ſentiens, homines eſſe proniores ad voluptatem, quàm ad virtutem. Gallos dixit ſacerdotes Cy- E beles eviratos. Porrò voluptatem amplecti, fœminarum eſt potiùs, quàm virorum. *Laert. lib.4. c.6.*

Isæus ſophiſta Aſſyrius, cum primam ætatem dicaſſet voluptatibus, ſimul ut ad virilem pervenit, veluti alius ſubitò factus, miram induit morum ſeveritatem. Itaque percontanti cuidam, num illa (fœminam oſtendens) videretur formoſa? πέπαυμαι, inquit, ὀφθαλμῶν, id eſt deſii laborare ab oculis. Ab altero quopiam interrogatus, quis piſcis, aut quæ avis eſſet ad veſcendum ſuaviſſima? πέπαυμαι, inquit, ταῦτα σπουδάζειν, id eſt, iſta curare deſii. Et adjecit ξυνῆκα γὰρ τοῦ Ταντάλου τρυγῶν κήπους, id eſt, ſenſi enim me è Tantali hortis fructus colligere. Subindicans, omnes ejuſmodi voluptates, quibus juventus capitur, nihil aliud eſſe, quàm umbras ac ſomnia, qualia de Tantalo fabulantur Poetæ. *Philoſtratus.*

Stratonicus Rhodius, cum videret deliciis diſſolutos, calido potu utentes, appellavit albos Cyrenæos, & civitatem illorum appellavit procarum civitatem, quòd colore quidem differrent à Cyrenæis, qui nigri ſunt, luxu, & voluptatum ſtudio ſimiles. Sic hodie quidam appellabat albos Mauros. F *Athen.* Idem. Cum Rhodi ageret, taxans ejus gentis luxum deliciaſque, dicebat illos ædificare, ut immortales, obſonare, quaſi breve tempus victuros. Avidiùs enim fruimur his, quæ brevi ſcimus auferenda. *Eraſ. 6. apoph. ex Plut.*

Philoxenus fuit inſignis ganeo, qui cum in caupona ollam vidiſſet, in qua deliciæ coquebantur, odore captus, juſſit filium ollam emere. Filio dicente, eam ollam magno pretio vendi: Hoc ſuavior, reſpondit, & jucundior erit, quo majori pretio eam emero. *Ælian. l.10. de var. hiſtor.* Idem collum longius ſibi, quàm gruibus fieri exoptabat, ut in guſtu magis oblectaretur. *Ariſt. in Ethic. & Bruſ. lib. 3. cap.1.*

Alexius poeta Callimedontem rhetorem, ut deliciis deditum, taxavit his verſibus:

Ὑπὲρ πατρίδος μὲν πᾶς τις ἀποθνήσκειν θέλει,
Ὑπὲρ δὲ μήτρας Καλλιμέδων ὁ κάραβος.
Pro patria vel quilibet velit mori:
At metræ amore Callimedon ſolus cupit.

Perit Latinis joci gratia: nam πάτρα, patriam ſignificat, μήτρα non matrem, ſed vulvam aut piſcem ſonat. Piſces G olim erant in deliciis. *Eraſ. lib.6. Apoph.*

Lycurgus, cum ſtatuiſſet invadere delicias, luxumque, & in iis quoque tollere divitiarum admirationem, inſtituit ſyſſitia, hoc eſt, convivia publica. Percontanti verò, cur ea conſtituiſſet, ſic ut in ſingulis conviviis pauci cum armis diſcumberent: Ut, inquit, expediti ſint ad parendum imperatis; & ſi quid tumultus inciderit, penes paucos ſit delictum, ſitque inter omnes potus ac cibi ęqua portio: deniq; nõ ſolùm in eſculentis ac poculẽtis, verùm ne in ſtratis quidem aut vaſis, aut alia in re quacumque plus haberet dives, quàm pauper. His rationibus cum divitiis detraxiſſet admirationem, poſtquam nemo emo erat, qui vel uti poſſet illis, vel oſtentare, dicebat amicis: Quàm præclarum eſt, ò amici! ipſa re declaraſſe, cujuſmodi ſint divitiæ, ſi quando cæcæ ſunt, carentque ſpectatoribus, & admiratoribus. Interim obſervabat, ne quis priùs domi ſumpta cœna veniret ad publica convivia, expletus aliis cibis, aliove potu. Quòd ſi quis cum cæteris non biberet, ederetve, eum vituperabant, ut qui aliis eduliis delinitus, aborreret à victu communi. Porrò qui palam convictus eſſet id feciſſe, ei mulcta diceba- H tur. Unde Agis, qui multo poſt Lycurgum tempore rex fuit, debellatis Athenienſibus domum reverſus, cum vellet quadam die cœnam capere cum uxore à ſyſſitiis, poſcenti præfecti militiæ non miſerunt. Ea res cum poſtero die innotuiſſet Ephoris, mulctam illi dixerunt. In eodem facto geminum exemplum nobis eſt proditum: primum frugalitatis, deinde ſeveritatis, cum in cauſa non gravi leges nec regi pepercerint. *Plut. in Lacon.*

Agesilaus, cùm audiret quendam mirari, cur rex cum cæteris Lacedęmoniis tam frugali cibo veſtituque uteretur? Pro hac frugalitate, inquit, optimam meſſem metimus libertatem. Quo dicto oſtendere voluit, nihil æquè libertati contrarium eſſe, ac voluptatem. *Plut. in Lacon.*

Lysander, cùm filiabus ſuis non permitteret, ut veſtes à Dionyſio datas induerent, interrogatus: Quamobrem hoc faceret? Ne, inquit, luxuria conſpicuæ, turpiores videantur, quàm fuerunt antea. *Bruſ. lib.3. c.33.*

Epaminondas à quodam ad cœnam invitatus, quum bellariorum, obſoniorum & unguentorum apparatum inveniſſet,

A niſſet, è veſtigio abiit, dicens: Ego te ſacrificare, non laſcivire putabam. *Plut. in apoph.* Idem: Quum coquus impenſæ rationem collegis redderet, maximum olei ſumptum duntaxat ægrè tulit; ſed collegis admirantibus, impenſam quidem ſibi non diſplicere, dixit, ſed quòd tantum olei intra corpus ipſe accepiſſet. Damnavit autem luxuriam in nullo magis, quàm in ſemetipſo, quem adeò prodigum olei fuiſſe in unctione corporis fatebatur, ut hac in re omnes facilè ſuperarit. *Plut. in apoph.*

Perſæ, quoniam regionem habebant montuoſam aſperamque, cupiebant eam campeſtri ac molliore commutare. Id non paſſus eſt Cyrus, dicens: Quemadmodum plantas ac ſemina, ſic hominum mores ad regionis habitum immutari. Sentiens ſe velle duros homines, & laboribus accommodos. Nam mollis ac fertilis regio, molles & ignavos gignit homines. *Plut. in apoph.*

Xerxes iratus Babyloniis, quòd à ſe defeciſſent, poſtquam illos in poteſtatem ſuam redegit, interdixit, ne ferrent arma, ſed pſalteriis tibiiſque canerent, ſcorta alerent, cauponas haberent, ac ſinuoſis tunicis uterentur, quo voluptatibus mol-
B liti non molirentur denuò defectionem. *Plut. in apoph.*

Demetrius Phalaræus conſpicatus juvenem luxurioſum: Ecce, inquit, quadratam ſtatuam, habentem ſyrma, ventrem, pudenda, barbam. *Stob.*

Alexander Darii regiam ingreſſus, quum vidiſſet ſublime cubiculum, & in eo ſtratum, menſas, cæteraque omnia mirifico ornatu instructa, Hoccine, inquit, erat imperare? Sentiens, non eſſe regium, hujuſmodi deliciis indulgere. *Plut. in Alex. vita.*

Brutus quidam, quum balneas patrimoniumque omne penè vendidiſſet, pecuniamque luxurioſè dilapidaſſet, diceretque ſe ſudare, Craſſus orator reſpondit: Non mirum eſt (inquit) quòd ita ſudas, modò enim exiſti de balneis. Notavit autem hominis luxum, qui in cauſa erat, ut balneum, & alia divendere coactus eſſet. *Bruſ. lib. 3. c. 33.*

Scipio Minor, cum non ignoraret, luxuria, & voluptatibus militum enervari vires, omnem luxum, & voluptatem è caſtris ſuis amoveri juſſit, voluitque, ut milites ſtantes cœnarent obſonium non igni coctum.

C M. Cato, Albidium quendam qui omnia ſua bona dilapidaverat, audiens conquerentem, domum ſibi incendio conſumptam eſſe: Protervia, inquit, fecit. Erant autem Protervia apud veteres Etnicos ſacrificia, in quibus mos erat, ut ſi quid ex epulis ſuperfuiſſet, igne conſumeretur. *Bruſ. lib. 3. c. 1.* Idem eam Remp. nequaquam ſalvam fore dicebat, in qua piſcis pluris, quàm bos venderetur. Senſit autem vir prudentiſſimus, nihil æquè in Republ. peſtiferum eſſe, quàm ſi cives luxu & deliciis diffluant. Præcipuus olim luxus erat in piſcibus, unde legimus mullum ſex nummum millibus emptum. *Plut.* Idem quendam qui agros mari vicinos ob luxum vendere coactus eſt, ajebat ſe mirari, quaſi plus poſſet quàm ipſum mare; quod enim illud vix paulatim alluebat, ille facilè devorarat. *Eraſ. lib. 6. apoph. ex Plut.*

Quum œconomus Lucullo cœnam modeſtam apparaſſet, accerſitum objurgavit: illo dicente, Non putabam ſumptuoſo apparatu opus eſſe, quum ſolus eſſes cœnaturus: Quid ais, inquit Lucullus, an ignorabas, apud Lucullum hodie cœnaturum Lucullum? *Plut. in apoph.*

Tiberius Cæſar, Attilio Butæ viro prætorio, quum ad inopiam per luxum ac ſocordiam redactus fateretur, ac de-
D ploraret paupertatem ſuam: Serò, inquit, experrectus es. Dormiunt temulentiæ ac luxui dediti veriùs quàm vivunt, nam vita vigilia eſt. *Seneca in epiſt.*

Caligula luxu prodigioſo utens, ut calidis rigidiſque unguentis lavaretur, pretioſiſſimas margaritas aceto liquefactas ſorberet, convivis ex auro panes, & obſonia apponeret, nummos non mediocris ſummæ à faſtigio baſilicæ Juliæ per aliquot dies ſpargeret in plebem, Liburnicas naves gemmatis puppibus, & verſicoloribus velis fabricaretur: ſubinde dicebat, Aut frugi hominem eſſe oportere, aut Cæſarem. *Eraſm. lib. 6. apoph. ex Sueton.*

Heliogabalus, adhuc privatus, cũ luxurioſus omnibuſq; voluptatibus deditus eſſet, reprehenſus à quodam, qui dicebat: An non times vir luxurioſiſſime, ne poſt tot delicias pauper fias? Quid melius, inquit, quàm ut ipſe mihi hæres ſim, E
& uxori meæ? *Rom. hiſtor. Scriptores.*

CHRISTIANORUM.

Eques quidam ingens patrimonium per luxum ac libidinem abſorbuerat, atque inſuper magnam æris alieni vim contraxerat. Pro hoc intercedentibus quibuſdam apud Alphonſum regem, ne ſaltem quæ debebat, corpore luere cogeretur, Alphonſus reſpondit: Si tantam pecuniam vel in ſui regis obſequium, vel patriæ commodis, vel ſublevandis propinquis impendiſſet, audirem. Nunc quoniam tantas opes impendit corpori, par eſt, ut luat corpore. *Eraſ. lib. 6. apoph.*

☞ *Ex loco de Conviviis, Moderatione, Modeſtia, Teſtibus, illarum rerum circa quas Luxus exercetur, plura huc transferantur.*

* HIEROGLIPHICUM.

Pervetuſtum fuit apud hieroglyphicos Ægypti ſacerdotes, delicias victus, luxum & laſciviam ex *Porci* ſimulacro ſignificare. Argumento eſt columna in æde Thebis Ægyptiis olim erecta, in qua plurimæ in Regem Menin execrationes deſcriptæ erant, qui primus omnium Ægyptios è parſimonia ad luxuriam, à modeſtia ad intemperantiam, à virtute ad F
effœminationem illexit; quapropter ſimulachrum ejus porcum eſſe voluerunt. *Pier. Val. lib. 9. c. 20.*

Lux.

☞ *Vide* Lumen.

---

* Luzitani, ſive Luſitani.

QUI, ET UNDE DICTI.

Luzitani dicti Portugallienſes, eò quòd Luſitaniæ Regnum olim fuerit veluti Portus Galliæ. Cum Gallis enim iſti Genti tanta fuit neceſſitudo, ut jure Luzitaniam Galliarum coloniam nonnulli appellaverint.

Eſt autem Luzitania ſive Portugallia Regnum antiquum & nobile, mari Athlantico ab Auſtro & Occidente contiguum, & qua Aquilonem reſpicit, ex Provincia Tarraconenſi octodecim in Gallæciam excurrit leucas, quæ Durium & Minium fluvios interjacent. Hujus ergo regni incolæ Luzitani, ſive Portugalenſes appellantur, & ſex diverſas Regio- G
nes, ſive Provincias continent, & octodecim civitates, quarum tres Archiepiſcopales, undecim Epiſcopales. Numerantur præterea apud illos CCCCXVII. villæ, ſive municipia. Judiciales conventus C. LXXXVIII. & hæc quidem præter Inſulas, quæ è continenti diſtant, quas Luzitania habet opulentas & amplas.

QUANDO. ET QUOMODO FIDE IMBUTI.

Quamvis Luzitani in ultimum aliquem terræ angulum ſint rejecti, tamen S. Jacobum ſalutaris doctrinæ nuntium in Hiſpaniam miſſum, conſtans plurimorum ſententia, & antiquiſſima monumenta fidem facere poſſunt. Habuit autem S. Jacobus plures in Hiſpania diſcipulos & presbyteros, quos Euangelicæ doctrinæ pabulo instructos, ad finitimas Regiones miſit. Ita conſtat, anno ſalutis XLII. primum Eccleſiæ Bracharenſi ab eodem Apoſtolo Præſulem conſtitutum quemdam nomine Petrum, variaſque Eccleſias ædificatas, ac paſſim ſacerdotes conſtitutos: è quibus plures ſecuti Petrum Epiſcopum ſuum, ſanguinis effuſione fidem receptam, & aliis traditam fortiter tutati ſunt.

Scripſit de Martyribus Luſitanis, aliiſque ſanctis utriuſque H
ſexus, noviſſimè *Antonius Valconcellius è Societ. Ieſu Theologus* Olyſſiponenſis.

Luſitaniæ, ſive Portugaliæ Reges, numero XX. ☞ *Pete ex Loco de Magiſtratu. Tit. Magiſtratus Chronologicè conſideratus.*

Lycanthropi.

☞ *Quære in Loco de* Lupis.

Lydorum Reges.

☞ *Vide ſupra allegato Loco de Magiſtratu. Tit. Magiſtratus Chronologicè conſideratus.*

Finis Litteræ L.